Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXI
H
16
NAPOLI



LXI. H. 16

O. III. 27

Ludovico Calino viro sui ordinis longe praestantissimo Patriarchae Antiocheno Auctor multis nominibus obstrictus D. D. D.

C.ª 1.ª F.1.

Digitized by Google

FASTI GYMNASII PATAVINI

JACOBI FACCIOLATI

STUDIO ATQUE OPERA

COLLECTI.



B. R.
NEAPOLIS

PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLVII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU ET PRIVILEGIO.

PRÆFATIO.

SApienter Cicero monet in libro de Officiis primo c. xxi. in omnibus negotiis, priuſquam aggrediare, diligentem adhibendam eſſe præparationem. Ego vero, cum a docendi munere ad ſcribendam Patavini Gymnaſii hiſtoriam translatus ſum, quidvis potius parari oportere exiſtimabam, quam tabulas & acta, ex quibus, quæ ſcriberem, ducerentur. Quin valde mirabar, cur viri præſtantes Riccobonus & Tomaſinus tam pauca, tam incerta, tam confuſa dediſſent; Papadopolus autem nec ingenio illis, nec doctrina inferior, ſcholaſticis rebus vix delibatis, ad Profeſſorum & Alumnorum laudes ſcribendas, quæ fere, pro talium rerum natura, vanitate redundant & fallaciis, operam ſuam contuliſſet. Fando etiam audiveram, Actuarios eſſe quoſdam, ſuaque ſingulis tabularia; &, nequid ſcripturo foret optandum, Cancellarium ſæculo ſuperiore in hoc fere unum pecunia non exigua fuiſſe conductum, ut acta Gymnaſii omnia, & quidquid huc pertineret, decreta, litteras, edicta diligenter perſcriberet, fideliterque cuſtodiret. Sed cum ſingula ſcrutari cœpi, unde mihi ſcribendi materiam ſuppeditari poſſe credideram, tum vero illis veniam ad ignoſcendum libenter dedi, qui idem onus cum ſuſcepiſſent, nihil quod probari doctis viris poſſet, memoriarum inopia præſtiterunt. Ipſæ quoque ſcholarum inſtitutiones, ac primævæ Gymnaſii leges in communi reliquarum rerum obſcuritate latent; &, quod magis mirere, inventa quædam, quorum initia Riccobonus vidit, Tomaſinus autem ab iis, qui viderant, cognoſcere potuit, erroribus & ambiguitatibus implicantur. Si mihi libera omnia atque integra fuiſſent, ſtatim ad docendum

rediiſſem, onus aſſuetis minime grave, mihique honorificentiſſimo Senatus decreto, quandocunque locus in ſcholis vacaret, reſervatum. Sed perſtandum in propoſito fuit. Itaque multa undique colligere aggreſſus ſum, latebris excuſſis, quibus tempora explicarentur per quoſdam veluti Faſtos ab eorum regimine ductos, qui in annos ſingulos ſtudentibus præfici conſueverunt. Tum ad ſcholas & Profeſſores veni, de quibus nihilo plus mihi ſcribendum ſtatui, quam quantum ad id, quod ſub manu eſſet, neceſſario pertineret. Facile enim cognovi, rei hujus tam late fuſæ nullum finem fore, niſi quem mihi ipſe feciſſem. In civili hiſtoria continuatio quædam eſt ſerieſque rerum, quæ ſe mutuo gignunt & conſequuntur, quaſique corpus unum efficiunt: at in litteraria nullum eſt commune vinculum ab ipſa rei natura ortum, quod cauſſas & eventa conſociet, ut continuari narratio poſſit. Proinde illi omnes, qui genus hoc hiſtoriarum ſecuti ſunt, per capita diſcriminantes quod inſtituerant, non corpus unum, ſed membra veluti multa, quæ ſuis ſingula viribus ſtarent, nobis dederunt. Mihi vero ne tempora quidem ipſa colligere licuit, atque ordine diſponere ante ſæculum XVI. quod per annos multos nihil extet, per alios autem initia quædam rerum confuſa ſubluceant, unde nulla ſit ad verum detegendum via. Non ſum neſcius, fieri poſſe, ut quivis unus, qui veteres tabulas excutit, monumenta reperiat nobis ignota, ex quibus lux nova ſcholaſticis Faſtis affulgeat. Quid enim facilius & uſitatius? Ego quoque interdum in ea incidi, quæ ad ornandam ſpartam aliam facere viderentur, ultroque ad eos miſi, quorum intererat. Amens ſit oportet, qui talia quædam, non ingenio parta, ſed caſu oblata jactabundus venditare audeat; improbus, ſi per hæc aliis obtrectet. Me quidem pro certo haberi velim nihil divinando affirmare; nec eos ſequi, quos ſuſpicor divinaſ-

vinaſſe. Non tamen iccirco juratus accedo, habiturus contra beneficii loco, ſiquid mihi non modo ad copiam, ſed etiam ad emendationem ſuppeditabitur. Illud poſtremo loco lectorem monitum volo, ne miretur, ſi nomina inveniet Latinis ignota, Scholares, Rotulum, Bidellos, Juriſtas, Artiſtas, Bachalarios, Licentiatos, *& alia artis propria. Liberum majoribus fuit aliis uti vocibus, nobis non item. Si enim rerum nomina, quæ jam uſuvenerunt, doctis indoctiſque familiaria, nunc demum mutentur; ipſa hæc Latinitatis cura, extra locum adhibita, ſermonis perſpicuitati officiet. Ceterum, quæ rei natura eſt, exilia damus. Siquis grandia & ſplendida quærit, ne in ſcholis quærat, neve a ſcholarum hiſtorico.*

FASTORUM

PARS I.

Ab Anno MCCLX. Gymnaſii primo ad MCCCCV. Principum Carrarienſium ultimum.

II.

Ab Anno MCCCCVI. Venetæ dominationis primo ad juſtitium anni MDIX. quo intermiſſæ ſcholæ ſunt belli cauſſa.

III.

A reſtituto poſt bellum Gymnaſio Anno MDXVII. ad MDCCLVI.

FASTI

F A S T I
GYMNASII PATAVINI

AB ANNO UNIVERSITATIS PRIMO

A D

PRINCIPUM CARRARIENSIUM

U L T I M U M.

REI LITTERARIÆ

TRIUMVIRIS

GYMNASII PATAVINI

REFORMATORIBUS

JOANNI QUIRINO,

BARBONO MAUROCENO EQ.

JO. ALOYSIO MOCENICO EQ.

D. MARCI PROCURATORIBUS

JACOBUS FACCIOLATUS.

PAtavini Gymnaſii quaſi pueritiam, Senatores ampliſſimi, vobis in fidem tutelamque ſiſto, ideſt ætatem primam ab Univerſitate condita ad annum MCCCCV. Principum Carrarienſium poſtremum. Particula hæc Gymnaſticæ hiſtoriæ ipſa per ſe tenuis, ut rerum initia ſolent, tenebriſque involuta, niſi ſola prodeat, vix lectorem

inve-

inveniet: nec tamen prodire debet, niſi illorum auſpicio & patrocinio fulta, qui Gymnaſio præſunt, remque omnem litterariam moderantur. Habetis hic aliquid vetuſtatis religione conſecratum; ex quo tamquam ſemine tanta illa orta eſt, dominantibus Venetis, Patavinæ Univerſitatis magnitudo, ut ejus fama non Italos modo diſcendi cupidos ex aliis ſcholis abduxerit, ſed orbem fere totum pervaſerit. Juvat ingentium arborum ſemina quoque ipſa cognoſcere, primamque illam culturæ rationem perſpectam habere, per quam adoleverint. Primordia igitur affero rei magnæ, ſed ipſa per ſe parva: & ne ſupra incommoda alia ὄρεξιν quoque parerent, ſcholæ hiſtoriam ordine ultimæ, ſed merito & antiquitate primæ, totam dare conſtitui, atque ad hæc uſque tempora ductam fuſius explicare.

Attamen non deerunt, qui de voluminis exiguitate querantur ad pluteos ornandos minime idonei; quibus facile ſatisfacere poteram congeſtis undique edictis, decretis, reſcriptis, Profeſſorum elogiis; ſed hoc ipſum mihi animo propoſui, ut hiſtoricam narrationem, eamque brevem & nitidam, non farragi-

nem

nem darem. Superi faxint, ne ego vobis litterarum noſtrarum judicibus ſapientiſſimis in narratione hac, & in aliis, quæ porro ſequentur, vel nimis jejunus, vel nimis verboſus videar.

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del P. F. *Franceſco Antonio Mantua* Inquiſitor Generale del Santo Uffizio di *Padova* nel Libro intitolato: *Faſti Gymnaſii Patavini Jacobi Facciolati ſtudio atque opera collecti. M. S.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Gio. Manfrè Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 25. Agoſto 1756.

(Barbon Moroſini Cav. Proc. Rifor.
(Gio: Alviſe Mocenigo IV. Cav. Proc. Rifor.

Regiſtrato in lib. a cart. 47. al num. 473.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi 26. Agoſto 1756.
Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Franceſco Bianchi Segr.

ANNO

ANNO MCCLX.

GYmnaſii Patavini Faſtos ſcribere juſſus , ab anno MCCLX. initia duco, quo anno ab interitu Eccelini proximo , civitati admodum fauſto , Gymnaſiarchum primum invenio , quem Rectorem dixere , *Anſaldum Hiſpanum* . Creari placuit ex decreto Majoris Conſilii ab juventute ipſa , quæ Patavii ſtudebat , atque ita jam frequens erat , interdictis ab Alexandro IV. Pontifice Bononienſium ſcholis, ut novum quaſi quoddam corpus efficeret , quæ ſcholarium Univerſitas dicebatur . Rectori, cui ſummam permiſit rei hujus, additi poſtea ſunt ad dignitatis ſplendorem ac præſidium Vicarius , Syndicus , Conſiliarii , Actuarii , Maſſarii , Nuncii , Bidelli , ſervique publici generis omnis pro rerum ſubinde creſcentium neceſſitate . Ac primis quidem temporibus Rectoris auctoritas magna fuit , ut quendam veluti principatum adeptus, docendi ac diſcendi ſtudioſos in officio retineret ; ſcholas & Gymnaſium omne moderaretur ; leges etiam ferret , ubi opus eſſet ; & ſua cuique nationi jura deſcriberet: quod quidem paucis poſt annis uſque eo proceſſit , ut in baſilica ipſa Prætoria tribunal haberet , unde jus diceret inter ſuos .

Novum hoc reipublicæ ſcholaſticæ genus litteris ac litterarum cultoribus tantum ſplendoris attulit, ut nihil ſplendidius neque Romani veteres, neque Græci ad bonarum artium ſtudia promovenda excogitaverint. Sæculis enim quæ aurea vocamus, ſummo quidem in pretio habitæ litteræ ſunt, extructa publicis impenſis Lycea, attributa Doctoribus ſtipendia, decreta ſtudentibus præmia, nunquam tamen conceſſa huic ordini in ſuos juriſdictio eſt. Hæc nova plane dici debet, longeque maxima litterarum felicitas, quæ tamen ſuis fatis obnoxia, ut ſunt humana omnia, tempore intercidit.

Antiquitus Rector eligi conſuevit ineunte Quadrageſima, poſtea ſextili menſe: ſed ſæpe variatum eſt pro varia litterarum fortuna, & Gymnaſii frequentia. Nec vero quilibet unus e ſcholaſtica turba eligi poterat, ſed habita ſemper ætatis ratio eſt, nobilitatis, & famæ. Familiæ quoque ſtatum & commoda ſpectari Gymnaſii leges juſſerunt, ne quis forte, ad ſuſtinendum cum dignitate magiſtratum, lucrum ex eo quærere cogeretur. Si nullus adeſſet, qui Rectoris munus peteret, Prorector eligebatur, qui interdum toto anno locum tenebat, interdum autem cedere illi cogebatur, qui ſe quovis tempore offerret, Rectorque crearetur. Sed quia pro rerum humanarum viciſſitudine ad ea quoque tempora ventum eſt, quibus Prorectores deeſſent, Subſtituti reperti ſunt, qui cito obſolevere, relicta Syndicis, ac Proſyndicis provincia.

Eodem ferme tempore *Studii Tractatores* quatuor (ita enim dicti ſunt) civitas creavit, qui Rectoris conſilio & voluntate rei litterariæ providerent. Et ne forte advenienti juventuti diverſoria deeſſent, domos omnes, præter paucas certis in locis deſignatas, ſcholaribus ad hoſpitia patere juſſit; conditioneſque rei hujus ad controverſias tollendas edicto ſanxit: tum pecuniam quoque, ſi cui ex ordine ſcholaſtico opus eſſet, mutuam dari voluit ex publico ærario; legeſ-

legeſque dixit, quibus daretur. Rei novitas & commodum juventutem undique illexit, cujus cito ita crevit frequentia, ut quietis gratia in gentes duas Univerſitatem dividere neceſſe fuerit; ſuumque utrique Rectorem dare. Creati ſunt igitur anno ſequenti MCCLXI. *Henricus de ſancta Petronilla*, Præpoſitus Friſingenſis, ſcholarium Tranſalpinorum Rector, & *Franciſcus de Novaria*, Canonicus Patavinus, Rector Ciſalpinorum. Hi vero cum bis in hebdomada de rebus ad Univerſitatem pertinentibus apud Tractatores conſultarent, decora multa & utilia ſtatuerunt, quæ hodie quoque ſervantur; illud in primis, ut ſcholares rite recteque examinati tum privatim, tum publice, magiſterii jus & honorem ab Epiſcopo acciperent; quod Pontificis Maximi Urbani IV. diplomate biennio poſt roboratum eſt. Ipſum porro privatum examen in ædibus fieri placuit Epiſcopalibus, vel in ſacrario; in templo autem publicum, ex more atque inſtituto Pariſienſis Academiæ, quæ totum hoc litterarium negotium Eccleſiæ addictum volebat, atque ita ſane addictum, ut ſcholas regentibus ne uxores quidem primis temporibus permitteret. Accedit, quod ipſa quoque Doctorum inſignia, toga, pileus, anulus, eo ſunt inſtituta, quemadmodum Conringius oſtendit in Supplemento ad Antiquitates Academicas LXVII. ut ſignificaretur, in Clericorum numerum litteris dicatos cooptari. Itaque illorum temporum Scriptores clericum pro litterato paſſim uſurpant, laicum pro illitterato.

Majori civitatis Conſilio illud potiſſimum curæ fuit, ut magiſtris & Profeſſoribus haberetur honor. Tres autem eſſe juſſit, qui Jus Canonicum interpretarentur; qui Jus Civile, duos tantum: eoſque eligi quotannis voluit intra dies quindecim ante feſtum S. Petri, Kalendis autem ſeptembribus in urbe eſſe. Primis Gratiani *Decretum* penſi loco, & Gregorii IX. *Decretales* præſcripſit, attributis in ſingulos denariis, quas libellas vocant, ad ſummum ducenis, ſtipendio ut illis temporibus opimo. Secundis libros duos aſſignavit, ordina-

rium unum, extraordinarium alterum, utrumque autem pro modo, qui Rectori maxime idoneus videretur. Atque ordinarium quidem ex aliarum Univerſitatum conſuetudine *Digeſtum vetus* eſſe voluit, extraordinarium *Infortiatum* & *Digeſtum novum;* tum, ſiquid præterea ex Jure toto Univerſitas poſceret. His conſtitutum ſtipendium eſt libellarum ad ſummum CCC. Ceterum cavit, ne quis eorum, niſi pro ſcholaribus & ſcholaſticis negotiis in foro ſtaret. Artium penſa liberiora eſſe placuit; modo ne Medici ab Hippocrate & Galeno diſcederent, aut Philoſophi ab Ariſtotele, cujus opera paucis ante annis in Latinum ſermonem partim ex Græco, partim ex Arabico translata fuerant; neu quis extra ordinem docere, vel diſputare injuſſu Rectoris auderet.

Juventuti quoque ipſi plurima conceſſit, quibus magis magiſque pelliceretur; primum quidem ut ſcholares omnes, undecunque eſſent, civitatis jure gauderent, eorumque lites ut inter cives judicarentur; deinde ut immunes a vectigalibus eſſent; tum ne quis eorum aut in vincula conjici, aut ullo modo conveniri poſſet ex contractibus alibi factis. Arma etiam indulſit ad defenſionem, ſiquis eorum de metu ſibi illato docuiſſet, & ſacramento confirmaſſet: unde poſtea orta eſt nimia quædam armorum licentia, quaſi veteri jure ſcholaribus permiſſa. Nunciis, aliiſque ſervis publicis Univerſitatis, quos Bidellos vocant, permiſit, ut Gymnaſtica immunitate gauderent, *intelligendo nuncios comprehenſos in pactis ultimo factis inter commune Paduæ, & ſcholares*. Verba hæc, quæ ſunt in veteri legum municipalium Codice, ſi recte perpendantur, ſatis ſignificant, quomodo ea tempeſtate Gymnaſia conſtituerentur. Quamvis enim poteſtas docendi, & ſcholaſticos conferendi gradus ab Univerſitate manaret, Univerſitas autem a Principe penderet, in cujus eſſet ditione atque imperio; attamen ſcholares ipſi non aliter adduci quam pactis & conditionibus ſolebant, ut ad Univerſitatem componendam ſimul convenirent. Fama eſt, noſtram

hanc

hanc in primis juventutis frequentia floruiſſe : & quamvis nulla extent monumenta , quibus certum exequi numerum poſſimus , conjicere tamen ex Bononienſi licet , in qua decem ſcholarium millia fuiſſe anno MCCLXII. ſcribit Olfredus ejus Univerſitatis Profeſſor. Nolim autem quiſpiam ſibi perſuadeat , turbam hanc tantam , quæ a ſchola nomen quærebat, duntaxat ſcholæ gratia Gymnaſia frequentaſſe: quid ageret hoc titulo fulta & ornata, alias dixi.

Anno MCCLXVII. Gymnaſium totum rexit *Joannes Germanus*, ſequenti autem *Aymo Gebennenſis*, idem fortaſſe, qui poſtea Epiſcopus fuit , atque Imperialis Curiæ Cancellarius, de quo mentio eſt in libro tertio & quarto Albertini Muſſati de Geſtis Henrici VII. Sub illis arbitrium quærendi Doctores , & quotannis confirmandi juventus obtinuit ; quod inter jura ejus potiſſimum habitum eſt , duravitque per ſæcula admodum tria . De ædibus quoque certis in locis ſcholarium commodo deſtinatis nova quædam conſtituta ſunt, quæ in Conſtitutionum codice, quo Univerſitas utitur, adhuc extant . Atque initio quidem liberaliter habiti cultique ſupra hoſpitii modum, parem civibus gratiam modeſtia referebant; ſed poſtea, cum numero viribuſque valde creviſſent, luxurioſe uti beneficio cœperunt , urbemque nocturnis excurſationibus infeſtam reddere . Et quia in officio manere coacti migrationes identidem minitabantur , civitatis Conſilium graviſſimas in eos pœnas ſanxit , qui vel per ſe , vel per alios Gymnaſium diſturbare, aut quovis modo infirmare, abducta juventute, conarentur. Anno MCCLXXI. Rector Tranſalpinis datus eſt *Nicolaus Polonus* Archidiaconus Cracovienſis, Ciſalpinis *Joannes de Monte longo* Archidiaconus Aquilejenſis, qui de ſcholis inchoandis, ac finiendis, de feſtis, de vacationibus plurima conſtituerunt. Anno poſt *Philippus de Speciariis* Veronenſis Ciſalpinorum Rector creatus eſt: ſed & Tranſalpinos rexit per annos octo, deficiente collega, quantum conſtat. Alii *Philippi* regimen tardius incipiunt , & diutius producunt ad annum uſque

MCCLXXXIII.

MCCLXXXIII. Deceſſorum conſtitutiones, quæ *Gymnaſii Statuta* dicuntur, in volumen unum redegit, additis ad ſingula capita, quæ loco & tempori convenire viſa ſunt. Eo regente Gymnaſium, Civitas juſſit, Profeſſorem quemlibet publico ſtipendio contentum etiam privatim docere; ſiquis autem mercedis nomine aliquid ſibi a ſtudentibus paciſceretur, illum ſtatim excludi ſine ſpe redeundi. Attamen pro ædium penſione, in quibus docebatur, ſtudentes ipſi æra conferebant.

Quanti per hæc tempora ceteroquin dura & obſcura Patavinum Gymnaſium fieret, ex eo intelligi poteſt, quod ſcribit Engelbertus Abbas in Theſauro Anecdotorum apud Bernardum Pez T. I. p. 430. ad annum MCCLXXIV. *Celebrato Concilio Lugdunenſi, tranſtuli me circa Paduam, ubi magnum vigebat Studium generale, Doctoribus & ſcholaribus de Bononia illuc translatis propter diſcordiam, quam Bononienſes maximam cum Forlivienſibus tunc gerebant, ita ut Papa Gregorius ſtatuta ſui Concilii Lugdunenſis non Bononienſibus, ſicut antea fuerat conſuetum, ſed Paduanis magiſtris & ſcholaribus ſub Bulla tranſmiſerit, ad utendum ipſis in judiciis & ſcholis, ſicut patet in eorundem ſtatutorum titulis evidenter*. Ad hoc celeberrimum Concilium dum pergeret Dominicani inſtituti Cœnobita Thomas Aquinas, mirandi ingenii planeque Angelici Theologus, mortem obiit idib. Mart. Idcirco autem memoro, quia ſæculo ſequenti inter Sanctos ritu ſolemni relatus eſt, ſubinde vero etiam Eccleſiæ Doctor declaratus, & ab hac noſtra Artiſtarum Univerſitate cuſtos & præſes communi voto adſcitus. Verum enimvero tam fauſta initia neſcio quid adverſi repente intercepit. Etenim anno MCCLXXXIX. Nicolaus Papa IV. Patavini Gymnaſii jura interdicto ſuſpendit, totamque civitatem ab Eccleſiæ Catholicæ communione removit, quod quædam ſtatuiſſet Clericorum dignitati injurioſa, & Eccleſiaſticis immunitatibus gravia. Sed biennio poſt Petrus de Columna, S. Euſtachii Diaconus Cardinalis, ad conciliandam concordiam miſſus omnia

in

in integrum reſtituit. Cavaccius & alii interdicti auctorem Pontificem alium faciunt, cauſſamque rei hujus, adminiſtros & tempora miſcent. Ne his quidem temporibus aut Univerſitati, aut civitati ipſi defuere viri docti. Inter hos Lupatus eminuit ex ordine equeſtri, Juriſperitus, & *Poetarum omnium* (inquit Petrarcha de Rebus memorabilibus) *quos noſtra, vel patrum noſtrorum vidit ætas, facillime princeps*. Tanta fuit doctrinæ fama & exiſtimatione, ut, cum militis cadaver anno MCCLIV. ex antiquo extra mœnia conditorio fuiſſet effoſſum, perſuadere civitati potuerit, illum ipſum Antenorem eſſe gentis auctorem. Quapropter a Decurionibus, quos *Antianos* vocabant, & a Supremo Conſilio obtinuit, ut, magnifico pro moribus illis extructo monumento, ædique appoſito S. Laurentii in principe urbis via, ſolemni pompa illuc transferretur. Ipſe autem monumentum verſibus ornavit, qui adhuc extant, & advenis Trojanarum antiquitatum ſtudioſis oſtendi ſolent.

Sæculum clauſit *Teonitarius de Tedaldis*, al. *Teobaldis*, Parmenſis, Ciſalpinorum Rector, qui Gymnaſii Statutis retractatis nonnulla addidit Tranſalpinis parum probata; unde ortæ contentiones ſunt, ſed cito ſublatæ, dato Tractatoribus negotio, ut viderent, ne quid ex iis res Gymnaſtica detrimenti caperet.

Ineunte ſæculo quarto decimo, Ciſalpinis primum præpoſitus eſt *Joannes de Bononia*, deinde *Bonus de Mora* Mediolanenſis, Tranſalpinis *Rodulphus Auguſtanus*. Symbolam quiſque ſuam in Statutorum codicem conferentes oblivionem effugerunt. *Ex hoc tempore defuit*, inquit Papadopolus l. 1. de Gymn. c. 16. *Rectorum dignitas ad annum* 1399. *nec ullum in Actis veſtigium ejus reperitur*. Ego vero ne acta quidem ipſa ejus ætatis reperire potui, nec a Papadopolo reperta niſi divinando fuiſſe arbitror; nec ſane in urbe quærenda ſunt diuturnis bellis, geminata peſtilentia, & multiplici dominatu vexata. Adde his ignem Ubertini de Carraria,

qui

qui cum Prætorem occidiſſet Pollionem Beccadelum anno MCCCXXV. ut ſcribit Vergerius, *quidquid in Cancellaria erat publice privatimve conſcriptum, quidquid librorum, quidquid denique toto Prætorio litterarum inventum eſt, incendio conſumpſit*. Adde incendium alterum anni MCDXX. quo civitatis tabularium ad baſilicam Prætoriam nocturno caſu repente periit. Adde etiam tertium anni MDCXV. de quo Monteroſſus in ſuo Diario. Non tamen iccirco Gymnaſium ſine Rectore fuiſſe dici debet: contra vero certum firmumque habendum, ex quo Univerſitas hæc conſtituta eſt, fuiſque legibus firmata, ſemper ipſi aliquem præfuiſſe, qui veluti mens quædam per partes omnes maximas minimaſque intenta, ſingulis atque univerſis agendi facultatem & auſpicia præberet, ſuoque nomine acta ſignaret. Collegia certe, cum honores tituloſque Academicos alicui tribuerent, ita ſibi neceſſarium magiſtratum hunc exiſtimarunt, ut, ſi forte vacaret, vel Rector ipſe petitor eſſet, vel alio quovis modo impeditus abeſſet, alium quempiam ſufficerent, qui fiduciariam Rectoris poteſtatem in re præſenti exerceret; interdum autem ipſum quoque Collegii Præſidem, atque adeo Epiſcopum ipſum, ſi ita tempus & occaſio poſceret, Rectorem appellarent. Id præſertim colligitur ex ſemeſis quibuſdam Collegii Medici codicibus, qui adhuc forte ſuperſunt, ubi de Rectorum muneribus, titulis, commodis, honoribus nonnulla inveniuntur. Nomina ſane interierunt: attamen quædam dabimus ex tabulis ducta probatæ fidei, quas undique collectas in Artium tabulario repoſuimus; unde omnis prorſus anarchiæ ſuſpicio tolletur.

Ipſos quoque primæ hujus ætatis Profeſſores, tamquam pueritiæ cujuſdam, eorumque merita antiquitas obruit. Ex paucis autem, quorum nomina ad nos pervenere, plures Juris legumque ſcientia, quam artibus præſtiterunt. Nam ex Juriſperitis celeberrimi ſunt *Lyi* fratres, *Bartholomæus*, & *Thadæus* Beneventani, *Antonii* filii, qui ante conditam Univerſi-

verſitatem Patavii docuit, & *Juriſprudentum vertex* ob ſummam doctrinam dictus eſt; tum *Anſelmus*, & *Simeon de Engelfredis* Patavini : ſed hic quidem etiam Bononiæ docuit, ubi lauream obtinuerat ; uterque autem in Judicum Collegium receptus eſt . Inter teſtes arbitralis ſententiæ anni MCCLXIV. quæ eſt in vetuſto Statutorum codice hujus civitatis, afferuntur legum Doctores duo, *Petrus Calza*, & *Guido de Suzaria*. Hic quadriennio ante operam ſuam Mutinenſibus locaverat, grandi in anteceſſum pecunia accepta. Cremonæ quoque docuiſſe fertur. Anno autem MCCLXX. ad Regienſem migravit Academiam, ſeque illi in omnem vitam ſacramento obſtrinxit. Scripſit commentarium in Pandectas & Codicem, *de Jure emphyteotico*, *de Judiciis & Judiciorum ordine*, *de Tortura*, *de Inſtrumento*, *quod Guarentigiam vocant*.

Anno antequam *Anſaldus* Rector primus crearetur, *Buzzacarinus* Jus Civile explicuerat; cui ſucceſſere, conſtituta jam Univerſitate, filii duo *Fulco*, & *Salion; Salioni* autem *Buzzacarinus* junior ejus filius anno ſæculi ultimo; tum *Gerardus de Vitalianis*, *Princivallis* Mediolanenſis, *Ugo Dinarius*, & *Aldebrandinus* ejus filius, ſolo nomine noti. Poſtremus hic Decretum interpretabatur anno MCCLXXXIII. & conjungendus videtur cum *Bovettino de Bovettinis* Mantuano, qui Patavinæ Cathedralis Eccleſiæ Archipresbyter cum eſſet, Jus Pontificium magna cum laude diutiſſime explicuit, ſed litteram tamen nullam reliquit. Memorantur etiam inter hujus ordinis Profeſſores *Theobaldus de Theobaldis*, *Stephanus Saxus*, *Lambertus* de Mediolano, *Nicolaus* de Cremona, *Paullus* de Titulo, qui *Juris Apex* dictus eſt, *Nicolaus* de Plebe, *Vitalianus de Vitalianis*, *Manfredus de Manfredis*, *Bonus de Bajalardis*, *Belcarius* Bartholomæi filius, *Schinella de Doctis;* qui omnes legum ſcientia præſtantes, exeunte ſæculo, Patavii docuerunt; non tamen fortaſſe omnes, ut ſuſpicari licet, publicis ſtipendiis. Fratres quoque *de Tadis*,

Patavini cives nobili loco nati , *Joannes* , & *Pax* , quorum unus Prætor Vicetiæ fuit anno MCCLXXXIX. alter anno MCCXCVII. antequam Præturam ſuſciperent , patriis ſcholis operam ſuam docendo navarunt , & aliquo numero atque honore fuerunt . Utrumque ſæculum ornarunt *Thadæus Paucaterra* Cæſenas , *Aldebrandinus de Mediabbatibus* , & *Alegradus Cataneus* de Lendinaria Decretorum Doctor , qui poſtea Epiſcopus fuit Vicetinus, obiitque Patavii anno ſæculi ſequentis quartodecimo . Seriem claudit magnus Jureconſultus *Accurſius* Regienſis, ex Gallia Togata, qui cum civibus ſuis magna nominis fama Juriſprudentiam traderet, ut eſt in ejus urbis tabulario , inde a noſtris evocatus Patavinas ſcholas voce ſcriptiſque illuſtravit . Inter ejus auditores aſſiduus fuit anno MCCLXXVII. civitatis Prætor Marcus Quirinus , eique liberos in diſciplinam tradidit. Omnes porro ad hoc tempus Juris Profeſſores in eo conveniebant , ut ex Irnerii , & Bononienſis Academiæ inſtituto per ſummas quaſdam breveſque interpretationes legum ſententiam in aperto ponerent, difficultateſque expedirent . Qui deinceps ſecuti ſunt , paullo magis audere cœperunt , plenioreſque expoſitiones in ſcholas attulerunt , & ad forenſia negotia accommodarunt.

Claſſis quoque altera, quæ Artes complectitur , Profeſſores ſuos habuit , & quidem, ut tempus ferebat , admodum claros ; quamvis nondum ita floreret , ut cum prima certare poſſet . Nam ut a Grammatica incipiam , ejuſque fata altius repetam , ſola hæc ex omni artium ac litterarum ſtudio Italicas ſcholas tenuit ſæculis illis , quæ obſcura dicuntur , & ea quidem Cœnobitarum , & Epiſcoporum ædibus concluſa, vel paullo latius fuſa . Hac tamen voce ars & facultas omnis dicendi ac diſputandi interdum ſignificabatur , hoc eſt Rhetorica quoque , & Dialectica ; idque *Trivium* appellabant . Acceſſit poſtmodum Arithmetica , quam *Computatoriam* vocabant ; & ad vanum quendam divinandi uſum, qui mentes hominum occupaverat , etiam Aſtrologia;
tum

tum religionis gratia ea Muſicæ pars, quæ in canendis divinis laudibus adhibebatur. Nec defuere, qui triplici huic ſtudiorum generi Geometriam quoque adjicerent: atque ii quidem inter doctiſſimos habiti *Quadrivium* tenere dicebantur. Quod ſiquis majus aliquid ex Philoſophia delibaret, attamen Grammatici nomen retinebat, ut eſt in notis ad Lotharii Capitulare de Doctrina To. I. Rerum Italic. P. 2. pag. 152. Verum reſtitutis Italiæ tandem aliquando litteris, excitatiſque bonarum Artium Academiis, non ſatis grave videri cœpit nomen hoc; & primum quidem adjecta Rhetoricæ appellatione nobilitatum eſt, deinde vero plane expulſum, aſſumpto grandiore Humanitatis titulo, qui adhuc in uſu eſt.

Primus in hac urbe Grammaticus, extruſa barbarie, *Arſegninus* fuit, cujus memoria ad poſteros pervenerit. Non ſolum docuit, ſed etiam ſcripſit de regulis & arte *dictandi*, pro *dicendi*, voce ſumpta ex vernaculo ejus ætatis ſermone; ſuaſque lucubrationes *Quadrigam* vocavit, atque edidit anno MCCXVI. ut narrat Scardeonius lib. 2. cl. x. p. 229. Quandoquidem autem *Paduanum* vocitatum fuiſſe Scardeonius ait, non temere conjicio, eundem eſſe, qui in *Rolandini* Chronico *Magiſter Paduanus* dicitur; & Chronicum ipſum una cum aliis Magiſtris probavit anno MCCLXII. ab Univerſitate condita ſecundo. Atque hic operæ pretium eſt ejus ætatis morem notare ſane laudabilem, non ante emittendi litterarias lucubrationes, quam in magno doctorum hominum conventu auditæ, & probatæ eſſent. Hæc eſt imago quædam vetuſtiſſimarum recitationum apud Græcos & Latinos bonarum artium auctores, de quibus Voſſius ſcribit in Tractatu de Imitatione c. 7. Et quia nunc res obſolevit, cum minime deberet, juvat locum ipſum referre ex libri ultimi cap. ult. *Perlectus eſt hic liber, & recitatus coram infraſcriptis Doctoribus & Magiſtris, præſente etiam ſocietate laudabili Baccalariorum & Scholarium liberalium Artium de Studio Paduano. Erant quoque tunc temporis Regentes in Padua viri*

venerabiles Magiſter Agnus , Magiſter Joannes , Magiſter Zamboninus , profundi & periti Doctores in Phyſica & ſcientia naturali ; Magiſter Tredecinus in Logica providus indagator , & Doctor ; Magiſter Rolandinus , Magiſter Morandus , Magiſter Zunta , Magiſter Dominicus , Magiſter Paduanus , Magiſter Luchesius , in Grammatica & Rhetorica vigiles & utiles Profeſſores . Qui ad hoc ſpecialiter congregati prædictum librum & opus , ſive chronicon , ſua magiſtrali auctoritate laudaverunt , approbaverunt , & autenthicarunt ſolemniter in clauſtro S. Urbani in Padua , currente anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo , indictione quinta , die tertia decima , intrante menſe aprili .

Rolandinus alius poſt *Magiſtrum Paduanum* , vel una cum ipſo docuit , ut eſt in Chronici verbis modo allatis : atque hic eſt , opinor , qui *Rolandinus* cognomento Grammaticus dictus eſt , ut ab Hiſtorico diſtingueretur . Niſi quis forte credere malit , auctorem ipſum inter ſui operis judices numerari voluiſſe . Nam ipſe quoque *Grammaticæ Doctor* , *ſimul artis Rhetoricorum* dicitur in ſepulchri titulo apud Scardeonium lib. 2. Cl. x. & fortaſſe temporum illorum ſimplicitati condonari debet , quod ipſe de ſe honorifice loquatur , ſuumque de ſuo opere judicium non minoris haberi voluerit , quam aliorum . *Magiſter Dominicus* , de quo ibidem , *Montanarius* eſt , poeta ſui ævi non contemnendus , qui humanæ vitæ præcepta Latino carmine complexus eſt . Pauca quædam ex eo refert Scardeonius l. 2. Cl. x. p. 234. ſed opus integrum fruſtra ſe quæſiſſe ſcribit . Extat in Bibliothecæ Ambroſianæ codice , de quo Muratorius Differt. 44. de Antiquit. medii ævi pag. 914. De *Zunta* , de *Morando* , de *Lucheſio* nihil dico , nec ſane dicere poſſum niſi divinando . Sua cuilibet ætati turba fuit , cujus non eſt habenda ratio . Eadem de cauſſa mitto *Bonincontrum* Mantuanum , *Guizzardum* , & *Magiſtrum Joannem* , quos Grammaticæ Profeſſores vocat Albertinus Muſſatus , quocunque tandem jure ac titu-

lo

lo profiterentur. Ceterum ſiquis ejus ætatis ſcripta parumper conſideret, valde mirabitur, cur in tanto Grammaticæ ac Rhetoricæ ſtudio, tantaque magiſtrorum copia nemo fuerit ante Muſſatum ipſum, qui hoc in genere præſtaret. Sed hoc artium fuit omnium, atque adeo temporis infortunium.

Logicam primis illis temporibus Magiſter *Tredecinus* in Gymnaſio tradidit, vir peracutus, ſed magis ad ingenioſe diſputandum, quod erat in more, quam ad veritatem quærendam, qui Logicæ finis eſt. Huic paucis poſt annis vel ſocius, vel ſucceſſor datus eſt *VVilelmus Brixinenſis*. Et hic quidem Philoſophiam totam explicuit, ut colligitur ex epiſtola Engelberti Abbatis ad Ulricum Scholaſticum Viennenſem, apud Bernardum Pez in Theſauro Anecdotorum pag. 429. Sed poſtea ad Bononienſe Gymnaſium tranſiit, ubi Medicam lauream cum cepiſſet, Bonifacii Papæ IX. Archiater declaratus eſt. Interim Logicæ ſcholam regebat *Pax de Forojulio*, cujus extat adhuc Poema in Veneta S. Marci Bibliotheca, quo ſolemnis deſcribitur Ducis Senatorumque proceſſio in feſto B. Mariæ Virginis die an. MCCXC. Ejus titulus eſt: *Illuſtriſſimo & magnificentiſſimo Domino Petro Gradonico Venetiarum Duci Pax de For. miniſter artium in Studio Paduano devotam ſuæ parvitatis obedientiam ad mandata*. Idem *Pax* carmen de Forojulio ſcripſit; ejuſque carminis verſus aliquot affert Ughellus in vita Pagani Turriani Epiſcopi Patavini & Patriarchæ Aquilejenſis: ſed auctorem vocat *Pacem de Ferraria*, quemadmodum & Papadopolus in Tomo Gymnaſii primo p. 106. fortaſſe quia in Bibliothecæ Marcianæ codice legerunt *Fer.* pro *For.* In ejuſdem Bibliothecæ catalogo, quem ſecutus eſt Senator graviſſimus Flaminius Cornelius, de Venetarum Eccleſiarum antiquitatibus præclare meritus, dicitur *Pax de Forlivio*. Sed nulla hujus auctoris apud Ferrarienſes, neque apud Forolivienſes memoria extat; nec ſane probabile eſt, quandoquidem divinamus, illarum civitatum hominem de Forojulio carmen ſcripſiſſe. Porro *miniſtrum* ſe ap-

pellat,

pellat , quod nondum magiſterii gradum nomenque obtinuiſſet , vel quod artem profiteretur ceterarum miniſtram . In Actis Patriarchalibus Civitatis Auſtriæ anni MCCCII. aſſertur inter teſtes, vocaturque *Pax de Padua* , addita ſcilicet nomini honoris gratia patria illa , in qua Profeſſoris munus ſuſtinebat . Quinquennio poſt dicitur Logicæ Doctor , eique adjungitur *Mag. Odoardus* in diplomate laureæ Medicæ Aymerico Polono collatæ IX. Kal. Majas .

Ex Medicis unum reperio *Matthæum Roncalitrium* Patavinum , qui non Medicinam modo , ſed & Logicam , & Philoſophiam omnem , ut eſt in ſepulchrali elogio apud Scardeonium , profitebatur : *In cunctis cathedris Patavi decus iſte Mathæus* . Nec vero mirum videri debet , unum hominem per ea tempora tot artes profiteri conſueviſſe , cum & Doctores pauci eſſent , & artes ipſæ ac diſciplinæ præſidiorum inopia valde anguſtæ. Intra Phyſicam provinciam ſtetere *Magiſter Agnus* , *Mag. Joannes*, *Mag. Zamboninus* , quos vocat Rolandinus *profundos ac peritos Doctores in Phyſica & naturali ſcientia* . Attamen naturæ cognoſcendæ ſtudium , quod ceteroquin nobiliſſimum habebatur, & plurimi fiebat, ex ſtrigoſis diſputationibus ad ſcholaſticas pugnas comparatis nondum exierat .

Hic vero mirari libet , quo tandem pacto fieri potuerit , ut temporibus iſtis , quæ barbara vocare ſolemus , & ſane fuere , ſi poſterioribus conferantur , tantopere pietas elucerct, religionis cultus , & morum ſanctitas ; ut plures ex Patavinis noſtris exiguo annorum ſpatio , vel certe pro re tanta minime magno, reperiantur in cælitum numero habiti, quam totis ſæculis quatuor deinceps ſecutis , quibus litteræ arteſque omnes mirifice floruerunt. Unus multorum inſtar ſæculi ornavit initia S. Antonius, quem poſtea ſecutus eſt ejus diſcipulus B. Lucas , tum B. Jordanus, Beatus Peregrinus, B. Compagnus , B. Arnaldus, B. Damianus, Beatæ quoque mulieres Elena Enſelmina , & Beatrix Atheſtina , aliique præterea heroi-

heroicæ virtutis fama & ſanctitate verendi : Adeo quanto ſcientiæ minus, tanto plus innocentiæ & probitatis erat. Sed hæc, quæ nonnihil offenſionis bonis ſtudiis afferre videntur, nobiſque communia cum multis Italiæ populis ſunt, ad duo illa, niſi fallor, Chriſtianæ Eccleſiæ lumina referri debent, Dominicum, & Franciſcum, qui in magnis temporum tenebris repente exorti, orbem totum virtutibus illuſtrarunt; multoſque ſtatim ad imitationem exemplo & miraculis pertraxerunt.

ANNO MCCC.

ANno ſæculi hujus quartodecimo Rectorem Univerſitas habuit *Albertum Saxoniæ Ducem*. Jam enim res Gymnaſtica ita creverat, ut Principes quoque, ac Reguli, Regumque filii ſtudiorum gratia Patavium advenirent. Rectoris hujus auſpiciis, toto ſpectante ac plaudente Gymnaſio, Albertinus Muſſatus, qui antea Muſſus vocabatur, civis Patavinus ex primoribus, Laurea Poetica donatus eſt, publiceque ab Epiſcopo Pagano Turriano coronatus. Virtutis teſtimonium ipſum per ſe magnum, non tamen ſingulare, civitas & Academia ſingularibus aliis auxit & ornavit, illo in primis, quod conſtituit, ut natali Chriſti Domini die Doctorum Collegia, Profeſſores, ſcholareſque omnes Albertini ædes, præeunte tibicine, quotannis ſalutarent, cereiſque donis honorarent. Non diu tamen ſtetit honos, ſed Carrarienſium ſimultate interceptus eſt.

Quadriennio poſt Civitas libertatem ſponte exuit; electuſque eſt Jacobus de Carraria Marſilii filius *Protector*, *Gubernator*, *Capitaneus*, *&* *Dominus Generalis Paduæ*, *&* *Populi Paduani*. Ad eundem translata eſt Gymnaſii cura, quæ pro temporum difficultatibus nec fuit, nec potuit eſſe magna. Itaque Tarviſiani occaſione uſi, cum res ſuas Friderici Auſtriæ Ducis, qui ſe Romanorum Regem ferebat, fidei ac

tute-

tutelæ commiſiſſent, de Gymnaſio quoque inſtituendo cogitarunt. Hanc in rem diploma a Principe illo parum felici obtinuere, quo Tarviſianis ſcholis, quidquid juris reliquæ habent Academiæ, conceſſum eſt. Non tamen iccirco quippiam nobis detractum Fridericus voluit, atque adeo per Ulricum de Valſe Vicarium ſuum IV. Kal. Jun. MCCCXX. jura tituloſque omnes Patavino Gymnaſio confirmavit, quibus utebatur; & ſi qua eſſent alia, quibus Gymnaſia ultra citrave alpes Imperiali auctoritate gauderent, omnia conceſſit.

Anno MCCCXXVIII. turbatis rebus, receptoque in urbem Cæſaris Vicario Cane Scaligero, clauſæ primum ſcholæ ſunt; dein apertæ, ſed Patavinis Doctoribus dumtaxat, exteris omnibus dimiſſis. Poſtea cum civitatis Principatus variaſſet, tandemque ad Carrarienſes rediiſſet, Ubertinus tertius Patavii dominus, Gymnaſii reſtitutor, immunitates ſcholaſtico ordini ſæculo ſuperiore conceſſas diplomate confirmavit: tum ſuaſu & conſilio Gentilis Fulginatis Medici ejus ætatis celeberrimi, quem ad ſuæ valetudinis curam acciverat, duodecim adoleſcentes Patavinos deligi mandavit, eoſque, præbitis commeatibus, Pariſios miſit; ut, cum ibi artibus ac diſciplinis imbuti eſſent, medicinam in patria facerent, & ſiquidem idonei reperirentur, etiam docendo traderent. Sub hoc Principe anno MCCCXXXIX. pridie Kal. Jun. mortuus eſt Albertinus Muſſatus Hiſtoricus & Poeta, de quo diximus paullo ſupra. Hic ſine controverſia primus Latinarum litterarum reſtitutor in Italia fuit, quem proxime ſecutus eſt Franciſcus Petrarcha Florentinus, tempore poſterior, ſed fama & meritis major.

Anno MCCCXLII. Rectores invenio, Tranſalpinorum *Borchardum de Griſing* Canonicum Brixinenſem, Ciſalpinorum *Bernardum de Leonixa*. Sive hi, ſive alii triennio poſt creati, interpoſitis Ildebrandini Epiſcopi precibus, diploma obtinuere Clementis Papæ VI. Avenione datum XVII. Kal. Jun. Pontificatus anno V. quo Studii Generalis nomen

Gy-

Gymnaſio Patavino confirmatum eſt, ut non ſolum *in Civili & Canonico Jure*, ſed etiam *in aliis facultatibus*, *præter ſacram Theologiam*, Doctores & Magiſtri creari poſſent, & cetera fieri ad ſtudioſam juventutem rite recteque inſtituendam, quæ more & antiquo jure fieri conſueverant.

Anno MCCCXLVII. Kalendis decembr. Rectores facti, Ciſalpinorum *Nicolaus Cremonenſis*, Tranſalpinorum *Jordanus de Confluentia*; iiſque, & qui ſubinde ſuccederent, conceſſum eſt, ut intereſſent examinibus, quæ ad lauream tituloſque alios ſcholaribus tribuendos haberentur; non quidem ambo ſimul, ſed tum unus, tum alter pro nationum diſcrimine. Suſpicione autem repente injecta de juventutis migratione, veteres leges renovatæ ſunt adverſus illos, qui Gymnaſii ſtatum ſolicitarent, quique *cauſſa eſſent* (ut eſt in antiquis Civitatis Statutis) *deſtructionis*, *aut turbationis Studii Paduani*.

Primis anni MCCCLI. menſibus cum pro Rectore egiſſet Tranſalpinorum *Jacobus Francofordienſis*, ſextili demum ineunte obtulit ſeſe *Fridericus Polonus*, creatuſque eſt Rector, Ciſalpinos regente *Nerlo de Nerlis* Florentino. Sub his Rectoribus ærarium Gymnaſticum conſtitutum eſt ex plauſtrorum & boum vectigali, quod *Boccaticum* vocant, aliiſque ſubinde acceſſionibus auctum pro vario rerum ſtatu.

Artium ac Medicinæ ſtudia cum jam invaluiſſent, eorum cultores ſuum ſibi negotium agere voluerunt, proprioque parere Rectori; unde lites & controverſiæ inter ſcholarum claſſes coortæ ſunt. Has demum Epiſcopus ſuſtulit Pileus de Prata anno MCCCLX. bifariam diviſa Univerſitate, ut pars una Juriſtarum eſſet, Artiſtarum altera, quarum tamen poſterior a priore penderet. Motis occaſione hac Gymnaſii rebus, ortus eſt ſermo de inſtituenda ad Artium Univerſitatem amplificandam Theologiæ ſchola; quam ſolam deeſſe, paucis ante annis Clemens VI. diplomate declaraverat. Multis pro rei natura conſultationibus habitis, tandem expedire viſum

 eſt,

eſt , ut hæc quoque ceteris facultatibus adjungeretur . Et quoniam de auctoritate agebatur verbi divini interpretandi , publiceque exponendi , Franciſcus Carrarienſis civitatis Dominus a Romano Pontifice Urbano V. diploma impetravit Avenione datum XVIII. Kal. Maj. MCCCLXIII. per quod jura omnia hujus generis Patavino Gymnaſio conceduntur , quibus cetera in orbe Chriſtiano Gymnaſia ea tempeſtate fruebantur . Ipſa quoque Univerſitas Bononienſis Theologica ſchola gradibuſque ejus caruit uſque ad annum ſuperiorem , quo *ad fundandum & inchoandum Bononiæ ſtudium Theologicæ facultatis ex diverſis mundi partibus acceſſerunt viri ſacræ lectioni dediti*, ut eſt in vetuſtis Collegii Theologici tabulis, quas affert Alidoſius una cum diplomate Innocentii Papæ VI. a. d. II. Kal. Jul. MCCCLX.

Annus hic vel ea de cauſſa fauſtus Gymnaſio fuit, quod tum primum hominum ſtudia commota ſunt ad inſtituenda Cürotrophia , in quibus ſtudioſæ juventuti annua præberentur . Præivit omnibus civis Bononienſis Petrus Boaterius, qui Collegium Tornacenſe condidit. Hic enim Muriani incola cum eſſet, XI. Kal. April. facultatem petiit & obtinuit a Franciſco ſeniore Patavii Domino, emendi bona in ditione ejus ad ſummam trium aureorum millium ; ut domus & Collegium adoleſcentibus egenis pararetur, qui litteris ac diſciplinis in hoc Gymnaſio operam darent . Triennio poſt apparet Collegium inſtitutum & ordinatum fuiſſe in vico Vinealium , apud Puteum Campionis, ſub nomine ac præſidio S. Mariæ de Tornaco , curante Albicio de Brancaſiccis Lucenſi , Canonico Tornacenſi prius , dein Tarviſiano, Conradi filio , ad quem Boaterius rei arbitrium tranſtulit . Extant etiam nunc tabulæ anni MCCCLXVI. IV. id. Febr. quibus prædia empta ſunt argenteis Venetis bis mille ſexaginta , apud Bonincontrum Abbatem S. Cypriani de Muriano eo nomine depoſitis . His prædiis atque aliis tum ab Albicio relictis , tum Collegii pecunia ſubinde acquiſitis Franciſcus junior Carra-

rienſis

rienſis anno MCCCXCV. IX. Kal. Octobr. immunitatem tribuit, quam Venetus Senatus ſæculo proximo rerum potitus confirmavit. Ex eodem Carrarienſis indulgentiæ monumento colligitur, centum aureos, præter ſummam modo memoratam, ad Collegium legati nomine perveniſſe, bonis immobilibus emendis deſtinatos. Pridie id. Octobr. anni MCCCLXVI. leges primæ ad Inſtitutoris placita conditæ ſunt ab eodem Abbate S. Cypriani, & Pileo de Prata Epiſcopo Patavino, Curatoribus perpetuis; quibus legibus tota Collegii adminiſtratio continetur. Ex his conſtat, Alumnos VI. recipi atque ali debere, Patavinos duos, Tarviſianos item duos, totidemque Ferrarienſes, qui per annos ſinguli ſeptenos Juri Canonico ſtudeant, & ex Curatorum interpretatione etiam Civili. Excluduntur naturales, matrimonio juncti, & quibus majus patrimonium eſt florenis annuis vicenis. Sed poſtrema hæc conditio anno MDXXXVII. laxata eſt Curatorum providentia ad tricenos. Jus eligendi voluit Inſtitutor penes S. Cypriani Abbatem eſſe, cujus nomen & jura ad Venetiarum Patriarcham poſtea devenere; approbandi autem & recipiendi penes Epiſcopum Patavinum. Facultatem porro illis conceſſit addendi, pro modo redituum ex pecunia occupanda, quæ ſupererat, Alumnos binos ex Tornacenſi Diœceſi, vel ex alia quavis, ſi nullus adſit Tornacenſis idoneus. Hæc quoque conditio, auctis Collegii bonis, paullatim ita producta a Curatoribus eſt, ut jam, exeunte ſæculo ſexto decimo, Alumni XII. eſſent. Prudentiſſimum ex his præfici ab Epiſcopo reliquis juſſit; ejuſque curæ ac fidei internam Collegii adminiſtrationem committi, ſacramento interpoſito. Is in actis Collegii Rector & Præpoſitus vocatur: modo autem gratis operam ſuam navare dicitur, modo mercedula annua nummum argenteorum V. quos ducatos Venetos vocant. Adjecit famulum, miniſtrum, & negotiorum geſtorem, qui in Actis modo Prior, modo Procurator, modo Agens, modo Factor, modo Gubernator appella-

pellatur. Mandavit, ut ſuum cuique cubiculum, lectulusque eſſet; cetera omnes ſimul viverent, diſtributis per totum diem horis, quas communi menſæ, ſtudio, ac divinis precibus darent. Ingreſſus nomine nihil exigi voluit: attamen anno MCDXLVIII. IV. id. Octobr. Curatores decreverunt, ut Alumnus quilibet, cum primum ingrederetur, ſolveret argenteos octo; quæ pecunia ſartis tectis præſtandis impenderetur, nec ad alios uſus averti poſſet. Non eſt omittendum anno MCDLXXXVI. XVII. Kal. Jan. Nicolaum Francum Epiſcopum Tarviſianum, cum Legatus Apoſtolicus eſſet poteſtate Cardinalis a latere, exſecrationis pœnam indixiſſe admittentibus, & admiſſis in Collegium hoc, atque adeo etiam in Pratenſe, de quo mox dicam, non habita ratione nationum; quæ pœna non aliter remitti, quam Pontificis auctoritate poſſet. Iiſdem diris devovit Alumnos illos, qui locum ſibi largitionibus quæſiſſent, aut ſupra numerum eſſent, & ex bonis Collegii viverent. Credibile eſt, id factum ab illo non ſine cauſſa. Omnes porro clericalem habitum ferre debent ex Curatorum conſtitutionibus, & more vivere clericorum.

Hoc tempore non levis, pro rerum humanarum conditione, facta mutatio eſt. Etenim Alumni X. ſunt ſine patriæ diſcrimine promiſcue recepti; & ex poſtremo Patriarchæ Corrarii decreto Gradus ſcholaſticos & Lauream adipiſci debent, ſuffectis etiam in Juriſprudentiæ locum Theologicis ſtudiis, ſi cui magis placeant. Tertia anni parte Collegii beneficio carent; quibus autem menſibus in eo degunt, nudum cubiculum habent. Ceterum communi menſa utuntur, collata ab unoquoque ſymbola, præbitiſque a Collegio lignis, ſale, & aceto. Hoc nomine contribuuntur ſingulis frumenti ad menſuram Patavinam ſextarii octoni, totidemque vini cadi, & nummum libellæ Venetæ CXX. in menſes octo æquis portionibus diſtributæ, præter aureum Venetum, quo æſtivis nundinis donantur. Nemo autem in loci poſſeſſionem

venit,

venit, quin ſtatim ſolvat argenteos quindecim; quorum decem utenſilibus tuendis deſtinati dicuntur, quinque autem Alumnis ipſis, quorum ſocietatem init, ſtrenæ titulo dividuntur. Ex eorum numero pro Abbatis arbitrio Præfectus eligitur, qui ſodales, ubi opus ſit, officii ac diſciplinæ moneat. Sed præeſt omnibus gravis quidam ſacerdos, qui Gubernator dicitur; eique annuum conſtitutum honorarium eſt argenteorum LXX. Quod ſi ſuis impenſis extra Collegium degat, habet præterea frumenti modios quotannis binos ad rationem menſuræ Patavinæ, vini cados XXIV. & munuſcula de more. Eadem hæc famulo præbentur, qui ſupellectilem cuſtodit, totiuſque rei cibariæ curam habet; ſalarium autem paullo majus, argentei videlicet centeni, præter horti uſum, partemque ædium, quæ ipſi uxorique ejus, quandoquidem id quoque indulgetur, liberiſque ſufficiat. Vulgo creditur, nec deſunt auctores ſæculi ab inſtitutione proximi, Albicium ære ſuo Collegium condidiſſe; cum ex iis, quæ diximus, ſatis manifeſtum ſit, principem Collegii auctorem Boaterium fuiſſe, qui tamen Albicii fidei rem totam commiſit.

In eo vero maxime ſibi placebant Patavini, quod inter Canonicos ſuos celeberrimum virum Franciſcum Petrarcham numerarent, qui poſt varias peregrinationes hac in urbe degebat, Principis benevolentia, aeris ſalubritate, civium ingenio, & Univerſitatis erga ſe reverentia captus. Habebatur enim tamquam Deus quidam litterarum; ipſique illi graviorum diſciplinarum Profeſſores, qualeſcunque tempora dabant, tamquam magiſtrum verebantur, & conſulebant. Arquadæ ſupremum diem obiit anno MCCCLXXIV. in collibus Euganeis, ubi prædiolum ſibi, quod adhuc manet, ſatis belle ædificatum animi cauſſa paraverat. Allato nuncio, valde commota civitas eſt, in primis autem litterarius ordo, qui, clauſis ſcholis, juſtitioque indicto, exſequias ire, advocata Univerſitate, conſtituit. Conductis ornatiſque publico ſumptu cymbis, ipſe primum civitatis Dominus Franciſcus Car-

rarien-

rarienſis, magna comitante procerum caterva, deinde Epiſcopus, Canonici, Clerusque omnis, plurimique Cœnobitæ, tum Gymnaſii Rector, Profeſſores, Scholares, ac ſervi publici ad Montemſilicem perrexerunt. Ibi exſcenſione in terram facta, Arquadam, quæ non procul abeſt, lugubri apparatu procedentes, cum perveniſſent, delato per Doctores octo ad vici templum cadavere, juſta illi Chriſtiano more perſolverunt. Orationem habuit Fr. Bonaventura de Peraga Patavinus ex gente Baduaria, qui poſtea Cardinalis fuit: nihilque defuit rerum omnium, quæ ad ornanda magnorum virorum funera, & publicum luctum oſtendendum fieri ſolent. Non multo poſt marmoreum illi extructum monumentum eſt, columniſque impoſitum: tum, iterata funeris pompa, congeſtiſque honoribus cunctis, eo delatum cadaver eſt.

Biennio poſt collegii Medici ſtatuta renovari placuit. Quod cum factum eſſet, adhibitis in conſilium ejus claſſis Profeſſoribus, VII. id. ſept. MCCCLXXVI. propoſita Doctoribus ſunt admodum duodecim, ut ea ſacramento rogati reciperent. Atque alii quidem jurarunt, ſe vetera ſimul & nova ſervaturos; alii profitentes ſe veteribus ſtare, in nova jurare noluerunt, niſi prius examinata & probata ab Epiſcopo eſſent. Valuere tamen, auctuſque occaſione hac Doctorum numerus eſt ad Collegii celebritatem & ſplendorem.

Jam vero, convenientibus undique qui Gradus ſcholaſticos tituloſque peterent, anno MCCCLXXXII. ipſi quoque Juriſtarum Rectores curarunt, ut Doctorum numerus, qui ſui ordinis Collegium componebant, augeretur; ne petitores, per ſuffragia eorum probandi, nimio in periculo eſſent. Itaque facta eſt cuilibet hoc anno ingrediendi poteſtas, modo conditiones haberet, quæ idoneum facerent. Nam vetuſtiſſimis temporibus, Præſide Jacobo de S. Cruce, Doctores erant non amplius duodecim; deinde Bartholomæo Capivacceo Præſide, auctus eſt numerus ad viginti; tum Præſide Michaele de Repandis, fuere viginti quinque; poſtea, Antonio de Mer-

Merlaria Præſide, crevere ad triginta: nunc demum, cum præeſſet Ludovicus de Lambertacciis, recluſæ fores ſunt, nullo in poſterum definito numero. Verum ne Laureæ nimis vulgaretur honos, multis jam explanatis difficultatibus, Collegium decrevit, ut qui publice coronari vellet, præter ceteras expenſas, daret Promotoribus ſingulis panni Patavini ulnas quatuordecim, annulum, & pileolum. Illud quoque lege cautum, moribuſque firmatum erat, nequis publicum hoc doctrinæ teſtimonium conſequi poſſet, niſi in Patavina Univerſitate rite probatus, petendi facultatem, quæ *Licentia conventus* dicebatur, ab Epiſcopo ejus Cancellario obtinuiſſet. Attamen *Joannes de Florentia*, qui ſe in patria *Licentiatum* ferebat, pervicit Aulicæ domus gratia, quæ ſemper valuit plurimum, ut Laurea Patavina publice ornaretur. Contra autem qui Patavii *licentiari* vellet, non aliter poterat, quam ſi ſe, ſacramento obſtrictus polliceretur, non alibi Lauream, & Magiſterii jus, quam in hoc Gymnaſio recepturum.

Potiſſima cura per eos annos ærarii Gymnaſtici fuit, ut Profeſſores fama nobiles conditione quavis Patavium traherentur. Quapropter de ipſo quoque meretricio vectigali ſcholis attribuendo cogitari cœpit. Acceſſerunt & fortuita. Commode enim accidit anno MCCCLXXXVI. *Joanne de Pomuli Boemo* Gymnaſii Rectore, ut victis ad Brentellas Veronenſibus, meretrices viginti ſupra centum in eorum caſtris inventæ, jure belli in Franciſci Carrarienſis poteſtatem venirent, qui eas ad urbem traduxit, ut pro illis moribus fiſco obnoxiæ mererent. Domunculæ illis aſſignatæ ſunt inter vetuſta mœnia, & flumen ad Pontem Molendinarium, certumque præſcriptum veſtis genus, quoties in publicum prodirent. Atque ita in ipſa profeſſione flagitii primum mali pœna, deinde remedium repertum eſt; deſiitque ſæculo ſequenti propudium pæne omne, quod ab oculis removeri non poſſet, nec impendio careret.

Anno

Anno MCCCLXXXVII. Ciſalpini Rectorem habuere *Gratianum de Gratianis*, Guidarelli filium, ex Burgo S. Sepulchri, qui Prorector anno ſuperiore fuerat; Tranſalpini autem *Abrahamum* quendam, cujus nihil extat niſi nomen. Illis ſuadentibus, decrevit Civitas, ut quicunque honoris gratia docere in Gymnaſio vellet, ſuique ingenii periculum facere, modo rite recteque Doctor alicubi declaratus eſſet, admitteretur; ne, cum ſcholæ vacarent, quibus ſtipendia aſſignata erant, in caſum ancipitis eventus divinando committerentur. Fama enim interdum fallit, tutiuſque præſentibus creditur.

Triennio poſt Artium ac Medicinæ Doctor *Jacobus de Arquado* cum inſtituere Collegium decreviſſet ex bonis ſuis ſub nomine & auſpiciis SS. Jacobi & Joannis, ad alendos adoleſcentes egenos, qui Philoſophiæ ac Medicinæ operam darent, obtinuit a Franciſco Carrarienſi civitatis Domino, ut domus & prædia Collegii omnia, tum acquiſita, tum acquirenda immunitate gauderent: quæ immunitas confirmata eſt Veneti Senatus decreto anno MDXXIII. VII. Kal. Septembr. Extructæ ædes ſunt in vico S. Catharinæ quadriennio poſt: quo anno Jacobus deceſſit, juſſitque Alumnos eſſe X. iiſque annua ad victum præberi, ſingulis per annos ſeptenos. Scribit Ingulfus de Comitibus, Patavinos beneficii hujus expertes eſſe, idemque confirmat Antonius Roſatus, Bidellus Artium Generalis, qui de urbe hac & Gymnaſio ſcripſit ſub initium ſæculi decimi ſeptimi. Cura commiſſa eſt Petro Bragadeno, & Franciſco de Medio, Patriciis Venetis, heredibus & curatoribus; a quibus poſtea tranſiit ad Contarenos, porro autem ad Molinos. Atque iſti quidem hoc tempore quinos tantum Alumnos admittunt, quibus præbent argenteos Venetos ſenos, & frumenti ſextarios Patavinos XVIII. in annos ſingulos per quinquennium. Ceterum nemo quærit, cujus nationis, aut ætatis ſint; ubi habitent; num colant, aut quas colant diſciplinas. Collegii Cuſtos habet frumenti modios bi-

nos

nos ad menſuræ Patavinæ rationem vini cados X. & fruitur plerumque domo tota. Cum Roſatus ſcriberet, adhuc alumni decem erant, qui in Artibus exercebantur; ſingulique præter ea, quæ diximus, vini cados ſenos habebant, uſum ædium, ſervos, & ſal per annos VII.

Collegium hoc, inclinante ſæculo ſexto decimo, valde floruit, cum ſuppeterent abunde omnia, & inter alia ſchola Medica & magiſter: nec theoricæ modo medicinæ partes in illo explicari ſolebant, ſed etiam ſecta aliquando cadavera in illo ſunt, & Anatomicæ ab *Hercule Saxonia* exercitationes habitæ, minime invitis Gymnaſii Moderatoribus.

Anno ſæculi hujus nonageſimo ſecundo Medicorum Collegium provinciæ dilatandæ cupidum, adhibitis Univerſitatis Rectoribus, honores tituloſque Academicos ad Grammaticos quoque & Rhetoras propagavit. Et ne aut examinis difficultas, aut expenſarum ſumma accedentes deterreret, concedi omnibus cœpit, ut privatim examinari, & coronari poſſent, remiſſo etiam *gravamine reſponſionis quæſtionum, & lectura libri*, ut ipſius Collegii Acta loquuntur. Hinc facilitas honoris tanti adipiſcendi orta eſt, & ex facilitate imminuta æſtimatio. Nam ſæculo proximo ita laxata res eſt, ut vix ullus accederet, quin aliquam ſibi examinis partem remitti condonarique curaret. Scilicet genus hoc indulgentiæ nunquam ibi conſiſtit, unde cœpit.

Incidit in annum ſequentem *Petri de Garſano* Nicoſienſis liberalitas erga ſcholares Cyprios. Hic igitur, Nicoſienſis cum eſſet nobili loco natus, in patria paucis ante diebus, quam vita excederet, teſtamentum fecit, juſſitque ut ex quinis ducatorum aureorum millibus, quam pecuniam Venetiis collocaverat per Marcum Faletrum rei hujus procuratorem, quatuor adoleſcentes Cyprii in ſcholis Patavinis perpetuo inſtruerentur, aſſignatis in capita, quamdiu Patavii eſſent ſtudiorum cauſſa, aureis quinquagenis. Primum ex his ſacræ Theologiæ magiſtrum & Doctorem fieri voluit, alterum Ju-

ris Civilis , duos reliquos Artium ac Medicinæ . Probatum a Principe legatum eſt, & in acta *Procuratiæ de ſupra* relatum anno MCDVII. Electio primis temporibus, quemadmodum teſtator mandaverat, penes tres fuit ejus conſanguineos , & Præſidem Cyprium S. Mariæ de monte Carmelo. Nunc, occupata a Turcis inſula , ad Divi Marci Procuratores pertinet, qui in ſumptum quotannis erogant. Ceterum pro hodierno inſulæ ſtatu Cyprius , qui Patavii ſtudeat , nullus eſt.

Scio, nonnullis nimis exigua videri ſtipendia , quibus hoc tempore Profeſſores docebant : ſed qualia eſſent , ex rerum æſtimatione , quæ ad victum & cultum pertinebant , colligi debet . Medici Collegii Patres , ut eſt in Actis hujus anni, *libras decem & octo parvorum Jacobo Bidello ſolverunt* , *cauſa induendi de panno nigro pro exequiis magnifici & excelſi Domini Franciſci de Carraria ſenioris* . Nunc ſiquid hujuſmodi contingeret, vix totidem aurei indumento Bidelli ſufficerent. Uſque adeo variata eſt pecuniæ ratio , rerumque æſtimatio , quæ ſunt in mercimonio.

Anno MCCCXCIV. *Franciſcus Foſcarus* Venetus cum in ſcholis Patavinis Juriſprudentiæ operam daret , Ciſalpinorum Rector creatus eſt . Horum temporum felicitate permotus *Pileus Cardinalis de Prata* Epiſcopus Patavinus , poſtea Ravennas , poſtremo Tuſculanus, & Cardinalis, Collegium inſtituit ſub auſpicio & præſidio SS. Hieronymi & Proſdocimi, domumque ejus gratia in vico S. Margaritæ impetravit a Franciſco Carrarienſi Civitatis Domino . Facto autem poſt annos quinque teſtamento , duas ſuorum bonorum partes eodem pertinere juſſit, ut ex eorum fructu annua præberentur adoleſcentibus XX. ex nationibus quatuor, Veneta, Patavina, Tarviſiana, Forojulienſi, qui ſacris ſtudiis operam darent per annos ſinguli ſeptenos. Sed illi, quibus negotium ſupremis tabulis mandatum eſt, maluerunt ædes extruere e regione Baſilicæ Antonianæ, in quibus Alumni Collegii hujus, quod an-

no

no demum MCCCCXX. apertum eſt, commodius habitarent. Leges quoque condiderunt, quæ poſtea typis editæ ſunt.

Hoc tempore partim abſumptis, partim attritis hereditatis bonis, Alumni non recipiuntur plus XVI. ſiquidem ſint ex quatuor nationibus, qui beneficio uti velint, quod contractum eſt ad quinquennium. Unus ex his præfici aliis ad noſtram uſque ætatem conſuevit, attributis ſive præmii, ſive mercedis nomine, argenteis annuis V. Olim ad victum nihil deerat: nunc autem tectum habent, culinæ uſum, & nummulos paucos, qui bis in anno præſentibus diſtribuuntur. Additum eſt etiam a Curatoribus onus Laureæ adipiſcendæ, & in Statutorum codice perſcriptum: ſed non exigitur. Cura & arbitrium omne penes Epiſcopum eſt, Collegii Juriſconſultorum Præſidem, & Patricios Patavinos duos, ſuarum familiarum ſeniores, Leonium, & Zabarellam. Ceterum nec famulus deeſt, nec Scriba, nec Diſpenſator, nec Medicus, nec Cauſſidicus, nec Ædituus, qui rem ſacram diebus feſtis in Collegii ædicula faciat. Huic honorarium argenteorum vicenorum conſtitutum eſt a primis uſque Collegii temporibus: ſed anno MDCCXXIX. IV. Kal. Septembr. Curatorum decreto auctum eſt ad quadragenos, addito onere præfecturæ ſuſtinendæ, quæ uni ex Alumnis, ut ante dixi, mandari conſueverat. *Foſcarus* autem, cum Venetiarum Dux ſæculo proximo creatus eſſet, Gymnaſii Patavini memor, quod jam Veneti juris erat, ſalutaria multa decrevit, præſertim ad ærarii vires augendas, acciendoſque Profeſſores diſciplinarum peritiſſimos.

Inſequenti anno Juriſtarum Rectores poſtularunt a Collegio Medicorum, ut quicunque in Artibus examinaretur, & ad ſcholaſticos Gradus aſcenderet, argenteum ſolveret, more & vetuſtis conſtitutionibus ipſis debitum; deinde conventum cum haberet, ut Doctor declararetur, equos duos ad ipſos mitteret, quorum unus eſſet nobilior altero; tum, ſi forte *publicam*

peteret, hoc eſt lauream publica forma conferendam, ad ſuæ nationis Rectorem cum toto equitantium comitatu ſe conferret, eumque pro conſuetudine invitaret. Poſtulata hæc inde orta ſunt, quod Univerſitas Juriſtarum alteram a ſe pendere vellet, ſuiſque Rectoribus parere tamquam generalibus totius Gymnaſii moderatoribus. Convenerat enim anno MCCCLX. conciliante Epiſcopo, primum ut poſſent quidem Artiſtæ ſuum ſibi Rectorem eligere, ſed qui tamen ſacramento reciperet, ſe Juriſtarum conſtitutiones ſervaturum; nec ulli ad Artium Gradus obtinendos facultatem daturum, quin idem conceptis verbis juraret, & ſolidos duos Juriſtarum ærario quaſi tributi nomine inferret: deinde ut in litibus & controverſiis Juriſtarum Rectorem cuilibet Artium ſtudioſo appellare liceret: poſtremo ut quoties Artiſtæ Rectore carerent, Juriſtarum Rectoribus obtemperarent, haberentque in re omni tamquam ſuos. Itaque anno ſequenti, Artium Rectore deficiente, ejus vices egit *Antonius Venetus* Epiſcopus Calamonenſis, qui Juriſtas Ciſalpinos regebat; ac proinde in Actis Epiſcopalis Curiæ dicitur *Rector Citramontanorum ſcholarium, aliorumque Doctorum & ſcholarium quaruncunque facultatum, & potiſſime Artium ac Medicinæ Collegii Studii Paduani*. Particula *potiſſime* refertur ad examen Medicum, de quo agitur eo loco.

Anno MCCCXCVII. Ciſalpinorum Rector factus eſt *Matthæus de Ragnina* Raguſinus, Tranſalpinorum *Joannes Naſo* Canonicus Pragenſis, idemque Plebanus Libanienſis, Henrici Boemi filius. Sub hoc regimine ſcholaribus quatuor Auximanis, qui Patavii ſtuderent, conſtituta alimenta ſunt a Magiſtro Andrea, Andreæ Recinetenſis filio. Hic enim cum Auximanæ civitatis opera & auxilio ſtudiorum curſum Patavii confeciſſet, multaſque ſibi opes Venetiis medicinam faciendo comparaſſet, harum omnium heredem Venetam ipſam remp. inſtituit, addito onere ſolvendi quotannis aureos quinos & vicenos adoleſcentibus quatuor Auximanis, qui in Patavino Gymnaſio per annos ſinguli denos artibus operam

darent.

darent. Deficientibus Auximanis, beneficium ad alios transferri juſſit Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudioſos. Sed cum jam pro conditione rerum ac temporum pecunia exigua videretur, conſilio & providentia Equitis ac D. Marci Procurat. Barboni Mauroceni, Triumviri litterarj, ita conſultum Auximanæ juventuti eſt, ut duobus ſumma tota tribuatur, nec illis noxæ ſit, ſi forte malint Jurisprudentiæ vacare.

Secuti Rectores anno MCCCXCVIII. Tranſalpinorum *Franciſcus a Menla*, filius Gulielmi Valentini ex Aragonenſi provincia, Ciſalpinorum *Joannes Fuſuda* Rhegienſis, Gofredi filius, haud immeritam laudem aſſiduitate & prudentia tulerunt. Eorum auſpiciis Nicolaus Ridius Patavinus, Artium ac Medicinæ Doctor, Collegium inſtituit, quod ſeptem poſt annos Daniel Ridius Juriſconſultus teſtamento confirmavit, ad Vaccæ puteum, in quo adoleſcentes Patavini VI. Artium ac Medicinæ ſtudioſi alerentur per annos ſeptenos. Præter tectum, panem, & vinum ſingulis tribuit Venetos argenteos duodenos; quæ ſumma illis temporibus ad obſonium totius anni ſatis erat: eligi autem voluit a quinque Artium illiberalium Gubernatoribus, ſed probari & recipi a ſeniore ex heredibus ſuis. Rem frater uterque duobus ex Collegii medici ſenioribus commendavit; quibus Collegium ipſum anno MCDLI. IV. non. Jan. decreto ſuo tertium addidit. Nunc alumni quini ſunt, nec niſi quinquennii beneficio utuntur: & victum quidem integrum a Collegio habent, non tamen ultra ſemeſtre curriculum. Rectori, qui ſacerdos eſt, annui præbentur argentei XII. frumenti modius Patavinus duplex, muſti cadi X. & lignorum quod ſatis ſit in menſes ſenos. Multa Rectoribus his civitatis Dominus Franciſcus Carrarienſis indulſit; eorumque gratia domum quandam urbanam Juriſtarum ærario attribuit. *Fuſuda* in actis Zilii de Calvis tabellionis anno ſequenti IX. Kal. Sept. dicitur *Rector Citramontanorum*, & *Prorector Ultramontanorum*; videlicet quod *Franciſcus a Menla* ejus collega, acce-

accepta jam Laurea, menſe ſuperiore abiiſſet magiſtratu.

Hoc demum anno MCCCXCIX. duæ Gymnaſii Univerſitates, Juriſtarum & Artiſtarum, interpoſita Principis auctoritate, omnino inter ſe diſtractæ ſunt, ut æquato jure utraque per ſe ſtaret, ſuumque ſibi Rectorem eligeret, qui poteſtate ſumma uteretur, unum tamen & concors Gymnaſium eſſet. Ac Juriſtæ quidem pro duarum gentium diſcrimine, Ciſalpinorum & Tranſalpinorum, duos ſibi Rectores, quamdiu copia candidatorum fuit, crearunt; Artiſtæ uni ſemper parere maluerunt. Ceterum ab his quoque utriuſque gentis habita ratio eſt. Placuit enim, ut annuus magiſtratus eſſet, eumque modo Ciſalpini, modo Tranſalpini alterna vice tenerent: quod ad noſtra uſque tempora ſervatum eſt, quamdiu non defuit, cui recte committi poſſet.

Poſt *Menlam*, & *Fuſudam* rurſus defuiſſe Rectores Papadopolus ſcribit, uſque ad annum MCDXXXII. quod quidem anarchiæ tempus vocat. Cauſſam quoque anarchiæ hujus affert, quod *Menlæ* & *Fuſudæ* creatio Gymnaſio fuiſſet infauſta. Ego, ut mox apparebit, fere omnes detexi. Illud vero detegere non potui, quomodo *Menlæ* & *Fuſudæ* creatio fuerit infauſta. Sed cauſſa fortaſſe excogitata eſt ad veritatis ſpeciem aliquam anarchiæ imponendam. *Ab anno autem MCDXXXII.* ait idem Papadopolus, *certam periochen & continuam habere cœpit ſcholaſticus Principatus*. Attamen per ſæculum integrum & eo amplius, ideſt uſque ad annum MDXXXIX. non tribuit Gymnaſio niſi Rectorem unum in annos ſingulos; quod eſt contra leges & mores. Hunc autem ipſum, ubi nova nomina non ſuccurrunt ad ſedem implendam, conjiciendo confirmat in annos alios, & utrique præficit Univerſitati. Nec vero illi ipſi Rectores, quos affert, aut certi ſunt, aut in tempus & locum collati ſuum, ſi pauciſſimos excipias; ut propterea in ſæculum quoque ſextum decimum inquirere coactus ſim, totamque ſeriem reformare. Parcant mihi optimi viri manes, ſi hac in parte,

quæ

quæ potiſſima eſt, nihil diſſimulo. Nam; offuſa Rectoribus nube, turbatiſque temporibus, reliquæ narratiunculæ, qualeſcunque ſint, quia ordine carent, & parum cohærent, hiſtoriæ nomen tam pulchrum & grave mereri nequeunt. Ego illum, dum viveret, ob egregias animi dotes, Græcæque linguæ, & ſacrorum Canonum peritiam ſummopere colui, ejuſque memoriæ ac meritis dabo, ut cum de Profeſſoribus ſermo erit, allatis quæ in rem noſtram facere videbuntur, ad Elogia ſingulari ſtudio atque induſtria ab eo collecta lectorem mittam.

Duarum igitur jam hinc Univerſitatum regimina peragam, quæ multarum alioqui rerum communione conjunctæ, nunquam tamen ſub uno capite, ex quo ſemel ſeparatæ ſunt, coaleſcere potuerunt. Et, ut a potiore incipiam, Juriſtæ Tranſalpini anno MCCCIC. exeunte rei ſcholaſticæ præfecere *Dominicum de Botton* Gallum, Ciſalpini autem *Petrum de Fornovo*. Anno MCCCC. utraque natio Prorectori paruit *Laurentio Polono* Baronis Nicolai filio; qui anno ſequenti confirmatus præfuit Tranſalpinis, cum Ciſalpinos regeret *Joannes Ariminenſis*. Anno ſæculi hujus ſecundo Ciſalpinorum Rector factus eſt *Bartholomæus Gallina* Venetus; Tranſalpinis autem cum Rector deeſſet, *Nicolaus Pragenſis* Prorector datus eſt. Claſſis hujus ſcholas anno tertio rexere pro Tranſalpinis *Henricus Nythart* Ulmenſis, pro Ciſalpinis *Petrus de Peto* Coneglanenſis. Quarto, Carrarienſis dominii ultimo; Rectorem Tranſalpini elegerunt *Henricum Provincialem*, cui paullo poſt ſuffectus eſt *Caſpar Schulbempſlug* Boruſſus, Canonicus Vormienſis, & utrique nationi præpoſitus. Ne anno quidem MCCCCV. defuit Juriſtis Rector *Joannes Calaber*, ſed paucis poſt menſibus, quam creatus eſt, cum civitas alieni juris facta eſſet, ipſe quoque nullus fuit. Nihil quinquennio hoc, ad Gymnaſium quod attinet, memoria dignum contigit, niſi quod in Comitiis, quæ creandis Rectoribus habebantur, ſemel atque iterum excitatæ ab aliquibus turbæ

ſunt,

ſunt , inde proficere cupientibus , & Prætoris opera ſedatæ.

Artium Rector primus , qui libero jure in ſuos uteretur, anno MCCCIC. factus eſt *Benedictus de Salerno*, Matthæi Græci filius , cui omnis ad honorem additus eſt rerum ac miniſtrorum apparatus, quem vetus æmulatio, rei tantopere expetitæ compos facta , poſcebat . Hunc ſecutus eſt anno ſæculi ultimo *Angelus de Sebaſtianis* Romanus ; ſæculi ſequentis primo *Joannes de Penna* filius Simonis de S. Marino; ſecundo *Michael Reyer de Gorlitz* Nicolai filius Pragenſis. Annus tertius Rectorem habuit egregiæ indolis juvenem *Joannem de Caronellis* Coneglanenſem , qui paucis poſt annis inter Profeſſores fuit : quartus caruit Rectore , ſed Artium claſſem rexit *Theodoricus Balzey de Ambelza* Prorectoris titulo . Clauſa inde obſidione urbe, & ſupra belli mala peſtilenti vexata morbo, tum Domini mutatione agitata, vix aliqua fuit Gymnaſii forma per totum ferme biennium.

Nunc jam de Profeſſoribus dicam , qui ſæculo Gymnaſii altero docuerunt , ſuique nominis famam poſteritati mandarunt . Nec vero illa omnia dare in animo eſt , quæ apud Biographos reperiuntur . Satis nobis erit potiſſima quæque referre, quæ ad rem pertineant ; tum ſiquid ab aliis vel omiſſum, vel parum accurate narratum, modo ſit certum, relictis in medio quæ diſcrepant.

In veteri Juriſconſultorum matricula, quæ manu deſcripta circumfertur cum adnotationibus Antonii Porcellini, primum locum tenet *Jacobus ab Arena* Parmenſis, qui cum Jus Civile ſive Bononiæ , ſive Toloſæ, ſive utrobique (nam alii aliter) profeſſus eſſet, Patavium advenit, ubi tota deinde vita docuiſſe creditur. Marcus Mantua ſcribit , eum floruiſſe anno ſæculi quarti decimi ſecundo , neque ſatis conſtare, quo loco docuerit . Poſtremus de illo ejuſque operibus multa dedit accuratiſſime collecta Mazzucchellus in T. 2. Scriptor. Ital. p. 990. Ejus Collega fuit *Rolandus de Placiola*, vir & in legibus interpretandis , & in republica adminiſtranda peritiſſi-

ritiſſimus; de quo ſatis multa Scardeonius, & Papadopolus. In veteri Juriſconſultorum matricula ſecundum locum tenet, diciturque ibi a Porcellino *Bartholi* præceptor. Anno MCCCIII. Judicum Collegio præerat, ut eſt in ejuſdem Collegii actis. Bononiæ quoque fuit, non quidem ut doceret, ſed ut Nicolao Carrarienſi Præturam gerenti adſideret.

Inter *Jacobi ab Arena* diſcipulos eminet *Ricardus Malumbra* Cremonenſis, militis & comitis titulo ornatus, qui magiſtrum quoque ſuperaſſe dicitur, & *Pater legum*, *Doctorque ſolemnis* vocitatus eſt. Memoratur in Actis Cathedralis Eccleſiæ Patavinæ anno MCCCII. & biennio poſt, diciturque tum legum, tum decretorum Doctor, & *actu Regens Paduæ*, ex modo loquendi ejus ætatis. Eo docente, *Andreas Dandulus*, poſtea Venetiarum Dux, Juriſprudentiæ ſtudia coluit. Anno MCCCXIV. Venetias traductus, ut de Jure conſuleretur, legibus Venetis, quæ per ea tempora auctæ ordinatæque ſunt, operam ſuam præſtitit; ibique deceſſit anno MCCCXXIV. De illo multi, præſertim Ariſius, Pancirolus, & Papadopolus, quorum errata quædam jure carpit Senator præſtantiſſimus Marcus Foſcarenus in libro I. Venet. Litter. pag. 18. Ejus quoque filius *Nicolaus* apud nos docuiſſe fertur; ille ipſe fortaſſe, qui ad Aquilonarem D. Auguſtini portam ſublimi loculo conditus eſt hoc titulo:

Edite nobilibus celſa Nicolae Malumbris
Urbe Cremonenſi, ſolers utriuſque Profeſſor
Juris &c.

Circa initia ſæculi hujus leges interpretati ſunt *Ildebrandinus Campanatus*, & *Lichanor* Patavini, *Thadæus*, & *Joannes de Anguſciolis* Cæſenates. Sed hic poſtea ad Bononienſes tranſiit, ibique ſcripſit de *Proteſtationibus*, de *Sponſalibus*, & *Matrimoniis*; ut eſt apud Mazzucchellum. Invitatus eſt etiam anno ſæculi decimo ab Univerſitate Patavina *Jacobinus de Rufinis* Parmenſis, ut narrat Muratorius in Diſſertatione Medii ævi XLIV. Sed utrum advenerit, non ſatis conſtat.

Ex noſtris celebrari potiſſimum ſolet *Fabius Maximus* a S. Urbano, hujus urbis vico, qui primus, ut ait Scardeonius, *instituiſſe perhibetur ordinem Collegii Juriſconſultorum eo more, qui hodie quoque in conſcribendis Doctoribus obſervatur*. Hanc tamen laudem *Rolando de Placiola* tribuit Pignorius. In ſepulchri titulo, quem idem refert Scardeonius, dicitur *Vates*, *Orator*, *&* *Doctor legum*. Sed qui epitaphium inſtaurarunt ſæculo ſexto decimo, ad *Fabium Maximum* juniorem omnia retulerunt. Noſter quoque fuit *Gabriel Capiliſtius*, qui Jus Pontificium per hæc tempora profeſſus eſt; nec docuit modo, ſed etiam ſcripſit non pauca, quæ refert ex publica fama Papadopolus. Sacrorum Canonum ſcientia communi judicio ita excelluit, ut ſummas Eccleſiæ dignitates merito ſperare potuerit: ejuſque ſpei memoria apud familiæ hujus nobiliſſimæ poſteros tabulis expreſſa adhuc manet.

Oldradus de Ponte Laudenſis cum prius Bononiæ docuiſſet, inde Patavium venit ad Jus Civile profitendum anno circiter hujus ſæculi decimo: ſed quamdiu manſerit, incertum. Hinc Romam migravit, atque inde Avenionem, ubi cum doceret, & Advocatus Conſiſtorialis eſſet, anno MCCCXXXV. e vita deceſſit. Magnus Juriſconſultus habitus eſt, & *Pater Legum* dictus: attamen nec doctrina ejus, nec mores caruere accuſatoribus, ut eſt apud Pancirolum, Gravinam, & viventium Juriſconſultorum Principem Joſ. Aurelium de Januario in Republ. Juriſconſult. In ephemeridibus MSS. Monteroſſi ad annum ſæculi decimum *Bartholomæus Borſellus* Patavinus dicitur Legum Doctor & interpres; eique paucis poſt annis conjungitur *Aldegrettus de Buzzacarinis*, *Henricus de Baſteriis*, & *Nicolaus de Ogento* Decretorum Doctores. *Nicolaus* autem dicitur præterea majoris Eccleſiæ Cuſtos, & Epiſcopi Ildebrandini Vicarius.

Nicolaus Matarellus Mutinenſis inter noſtros Juris Civilis Profeſſores longe hac ætate celeberrimus fuit. Adde iis, quæ

de

de illo ſcribit Papadopolus , Legatos a populo Mutinenſi miſſos ad Civitatem & Univerſitatem Patavinam fuiſſe , ut facultas concederetur *ſapienti viro Nicolao de Matarellis Profeſſori legum degendi Mutinæ per totum menſem Aprilem ad complendum officium Defenſoris populi*, ut eſt in actis Mutinenſibus . In vetuſtis Collegii Juriſconſultorum tabulis conjungitur cum *Joanne Andreæ* , & alibi quoque docuiſſe dicitur . Revera docuit in patria , Piſis, & Bononiæ, multaque ſcripſit , quæ refert Ludovicus Vedrianus de Doctoribus Mutinenſibus p. 42. Hoc amplius narrat ex Fichardi fide , & publica fama , *Bartholum* diſcipulum nonnulla ex ejus penu ſumpta, & ad verbum deſcripta ſibi attribuiſſe . Vetus querela & criminatio in viros magnos. Nam ipſe quoque *Joannes Andreæ* , tantus vir , *inſignis alienorum laborum fur* nominatur a *Baldo* .

Joannes Andreæ presbyteri Florentini filius , in Calderinorum domum, nomenque adſcitus , ex Bononienſi Academia circa ſæculi initia ad Patavinam demigravit : ſed poſtea rurſus Bononiam rediit , ubi peſte extinctus eſt anno MCCCXLVIII. nonis Juliis. Sancto Hieronymo addictiſſimus cum eſſet , ejuſque vitam ſcripſiſſet, *Joannes a S. Hieronymo* interdum dictus eſt , communi vero ſcholarum judicio ob inſignem doctrinam modo Juris Canonici *Fons* , modo *Tuba*, modo *Monarcha*, modo *Archidoctor*. Multi non tam vera, quam mira quærentes, de illo temere vulgata ſcripſerunt. Noviſſime omnia pro ſua induſtria complexus eſt Mazzucchellus T. II. pag. 695. *Milantia* quoque ejus uxor , ut oſtendit Machiavellus de Mulierum Doctoratu n. 137. Bononiæ docuit. Quin & *Eliſabetha*, vulgo *Bettina*, ejus filia, *Joannis de S. Georgio* uxor, apud nos docuiſſe fertur, quod patri primum , deinde marito vicariam operam in ſchola regenda dictandoque præſtiterit . Hinc Julius Cæſar Crucius , ſæculi Poeta ſextidecimi, de Mulierum laudibus:

Bettina pur del ſangue Calderino

Uſcita, fu di ſcienza un chiaro fonte,
E leſſe nello Studio Patavino.

Anno MCCCXLIV. *Raynerius Arſendus* Forolivienſis conductus eſt aureis DC. qui tunc theſaurus habebatur; cum primum Bononiæ docuiſſet, ubi *Bartholum* diſcipulum habuit; deinde Piſis, ubi eundem habuit antagoniſtam. Comes cum eſſet, Eques, Auditor ſacri Palatii, & Caroli Cæſaris Conſiliarius, etiam a ſchola titulos quæſivit. Nam *Juris Apex*, pro ejus ætatis more, *legumque Monarcha* dictus eſt. Objit anno MCCCLVIII. Ejus filius *Arſendinus*, vivente adhuc patre, in Patavino Gymnaſio Jus Civile interpretari cœpit; ejuſque non doctrina modo, ſola paterna minor, ſed etiam prudentia & rerum uſus celebratur. Itaque miſſus eſt a Franciſco Carrarienſi Patavii Domino ad Senatum Venetum, ut de pacis conditionibus ageret: & cum lis orta eſſet anno MCCCLXXVII. inter Medicos, & Juriſconſultos, *Arſendinus* ad eam componendam *cum Joanne de Dondis*, Collegii Medici Præſide, delectus eſt.

Arſendis Jus Cæſareum interpretantibus, *Ægidius Mandelbertus* Cremonenſis Pontificium explicabat. Cum illo autem Pancirolus, & Tomaſinus *Carolinum* fratrem conjungunt, & Legum Civilium Profeſſorem faciunt. Jus utrumque profeſſus eſt *Bonifacius de Betha* Mutinenſis, qui ſacerdotium perpetuum inſtituit in æde S. Andreæ anno MCCCL. ſuorumque Juriſtarum Univerſitati addictum voluit.

In laureæ diplomate, quæ anno MCCCLI. collata eſt Jacobo de Glemona, memorantur legum Doctores *Cyriacus*, & *Bartholomæus de Placentinis* Parmenſes, *Jacobus de S. Cruce* Patavinus, *Bartholomæus de Canibus* Mediolanenſis; Decretorum autem Doctores *Aldegrettus de Montaneana*, *Bonifacius de Mantua*, & *Benvenutus de Forojulio*. Porro *Jacobi de S. Cruce* mentio eſt etiam in Actis Collegii Judicum anno MCCCLXV. ubi biennio poſt dicitur legum Profeſſor, & Vicarius Franciſci de Carraria Civitatis Domi-

ni.

ni . Iſtis omnibus conjungi poſſunt Vicetini duo , *Bartholomæus Paliarinus*, & *Angelus* fratris filius, quos per hæc tempora in Gymnaſio claruiſſe Juris interpretatione, ſcribit Riccobonus in lib. I. de Gymn. c. xi.

Sequitur *Jo. Antonius Sanctangelus* Patavinus , cognomento *Doctor ſolemnis* , qui jus Civile , & Canonicum publice profeſſus eſt per annos ſex & viginti . Floruit maxime circa annum MCCCXCIV. ut cenſet Marcus Mantua. Quinquennio autem poſt adhibitus eſt ad tollendas controverſias de Rectore inter utramque Univerſitatem exortas. Attigit annum ſæculi ſequentis undecimum; & quædam ſcripſit, quæ Scardeonius memorat . Interdum autem *Joannes* dicitur, interdum *Antonius :* atque hinc ex uno Profeſſores *Sanctangeli* duo a quibuſdam facti ſunt.

Ipſe quoque *Joannes de S. Georgio* Bononienſis , Eliſabethæ Calderinæ maritus, ut paullo ante dixi, cum in patrio Gymnaſio aliquandiu docuiſſet, poſtea ad noſtrum acceſſit , & quædam etiam ad Clementinarum interpretationem ſcripta reliquit . Uxorem ejus Ghirardaccius in libro Hiſtoriæ Bononienſis xxii. Joannis Gozadini filiam facit , deceptus ſepulchri titulo minus fideliter excripto e periſtylo ad muros baſilicæ Antonianæ.

Victor Dulcis Feltrienſis Decretalium in ſcholis Patavinis interpres poſt ſæculum medium claruiſſe fertur . Anno MCCCLIII. templum S. Franciſco pro ſuarum facultatum viribus ædificavit, ut eſt apud Portenarium l. ix. c. 25. & Salomonium Inſcript. Patav. p. 324. Sed inſcriptio ſepulchralis in eodem templo poſita, & ab eodem Salomonio p. 343. memorata, toto eum ſæculo juniorem facit, ſine ulla tanti beneficii commemoratione.

Cum *Dulci* conjungendi ſunt Patavini quatuor , *Bartholomæus Capivacceus* , *Paganinus de Sala*, *Joannes Loiſius*, *Antonius Stennus*, & *Bartholomæus Gloria* , probabiles Juriſconſulti ; tum etiam *Signorolus de Homodeis* Mediolanenſis , &

qui

qui omnes ſuperavit, *Bartholus* Saxoferratenſis, Franciſci Bonacurſii filius. Hic ævo ſuo Juriſconſultorum principatum communi Europæ conſenſu ſibi promeruit. Novum enim quendam Juriſprudentiæ colorem, novamque quaſi faciem dedit ingentibus commentariis, & ingenioſis diſputationibus, via quadam fuſa & ratione Dialectica conflatis, quæ ubique fere admirationem, & imitandi ſtudium moverunt: ſed caruit elegantia illa, & eruditione, quæ poſtea magnos viros peperit Alciatos, & Cujacios. Apud nos cum eſſet, bis in die docere conſuevit; ſed poſtea Peruſium conceſſit, ubi anno MCCCLV. mortuus eſt nondum ſenex.

Bartholum audivit, ab eoque Lauream accepit *Baldus de Ubaldis* Peruſinus, alter veluti Conſul in Juriſconſultorum republica. Profiteri in patria cœpit, ut Gravina ſcribit, cum jam Bononiæ celebrem multarum horarum diſputationem habuiſſet; idque contigit circa annum MCCCXLIV. Decennio poſt Patavium venit, manſitque in hac urbe uſque ad annum MCCCLXXIX. Tum in patriam rediit, atque inde Ticinum migravit anno MCCCXCI. ubi ad obitum uſque ingenti laude docuit, & ejus civitatis Statuta ſcripſit. Ingenii acumine *Bartholum* ipſum ſuperavit, ſcribendi gravitate & judicio non item.

Angelus ejus frater, vulgo *Angelus de Peruſio*, non ſane ingenio & doctrina par, ſed tamen paullo minor, cum docuiſſet in patria, Romæ, & Florentiæ, Patavium accitus eſt, ubi per annos ſeptendecim Jura explicuit. Ingruente ſenectute, Florentiam rediit, ubi mortuus eſt anno ſæculi ultimo. Marcus Mantua ejus vitam producit uſque ad annum MCDXXXIII. aliquanto amplius ſcriptores alii, decepti, ut opinor, nominis ambiguitate, quod *Angelus de Periglis*, qui docuit ſæculo ſequenti, dictus ſit ipſe quoque *Angelus de Peruſio*. Pancirolus *Angelum* alterum *de Ubaldis* Juris profeſſorem Patavii fuiſſe ſcribit, ſenioris nepotem; & hic quidem fortaſſe Mantuæ errorem præbuit.

Ma-

Magnus *Baldi* æmulus in Ticinenſi Academia *Philippus Saſſolus* fuit, patria Regienſis, qui *Doctor Doctorum* dictus eſt. Jus Civile per annos multos Patavii publice expoſuit, & quædam ſcripſit non inutilia, quæ Pancirolus, & ex eo Papadopolus recenſet.

Alexander de Doctoribus Ferrarienſis primus ex hac familia Patavium venit, ut eſt apud Monteroſſum, ad Jus profitendum anno MCCCLX. quo tempore docebant *Joannes Tiſolinus* ex Portu Romatino, *Joannes Salgardus* Feltrienſis, *Joannes Saracenus*, *Ægidiettus*, vulgo *Ziliettus*, ejuſque nepos *Boniacobus* de S. Vito, *Ottonellus Diſcalcius* ſenior, & *Nicolaus Spinellus* Neapolitanus, pater *Belfortis*, qui ſæculo ſequenti Collegium inſtituit ad Puteum Campionis. Sed *Diſcalcius* quidem gravioribus quoque Civitatis negotiis adminiſtrandis adhibitus in magna fuit apud Franciſcum Carrarienſem exiſtimatione; & cum objiſſet ſub initium ſæculi proximi, celeberrimum ſuorum meritorum præconem habuit Petrum Paulum Vergerium.

Ricardus Salicetus Bononienſis circa annum MCCCLXV. Pontificium Jus in Patavino Gymnaſio tradidit, & *Magnus Textualis* vulgo dictus habituſque eſt. Quo tempore Juriſconſultorum Collegium duodecim tantum doctoribus conſtabat, ipſe primus ſupra numerum Principis indulgentia admiſſus eſt. *Bartholomæus* quoque fratris ejus filius quadriennium apud nos docuit, ex patrio Gymnaſio temporum factionibus ejectus. Hinc Ferrariam migravit anno MCCCXCI. ibique Juriſprudentiæ ſcholam primus, vel inter primos aperuit ex Bonifacii IX. diplomate. Tum rurſus Patavium rediit, ubi *Juris Monarcha*, quæ formula ſæculi erat, appellari meruit. Sed, mutato civitatis Domino, ad ſuos reverti maluit, ibique mortuus eſt, exeunte anno MCDXI. Quandoquidem autem illos ex Profeſſoribus noſtris referre cœpi, qui publicas Ferrarienſium ſcholas primi tenuerunt, non ſunt omittendi *Franciſcus Ramponus* Bononienſis, *Joannes Parleo*

leo Ariminenſis, & *Benedictus Plumbinas*, qui paullo tardius Patavium venit.

Theobaldum Cortellerium hiſtorici noſtri referunt inter Juriſprudentiæ Profeſſores, quod in Judicum Matricula ad annum MCCCLXV. Legum Doctor vocetur. Sed jam titulus hic ad ſpeciem adhiberi cœperat. Certi ſunt *Benedictus Petruccius* Senenſis, qui Jus Pontificium, & *Michael de Repandis* Maroſticenſis, qui Jus Civile expoſuere; atque hic quidem per annos ferme triginta: certi item *Galvanus Bononienſis*, & *Alvaroti* tres, *Aicardus*, *Alvarotus de Alvarotis*, & *Petrus* ejus filius, Patavini cives, de re tota litteraria præclare meriti, quorum manet adhuc admiratio & fama. Nec vero omittendi ſunt *Ægidii* duo, al. *Ægidioli*, vulgo *Zilioli*, *de Cautelis* unus Cremonenſis, *de Caſalis* alter Patavinus, qui Franciſco ſeniori de Carraria familiaris fuit, *Antonius de Merlaria*, *Joannes de Curtarodulo*, *Franciſcus de Conſilvis*, *Pizzacominus de Pizzacominis*, & *Paduanus* ejus filius, *Ubertinus de Lampugnano*, *Joannes de Tadis junior*, *Bartholomæus Capivacceus*, *Guideloccius* Peruſinus; quorum omnium in Gymnaſio probata eſt opera. Fuit porro *Guideloccius* non *Baldi*, ut Portenarius ſcribit, ſed *Angeli* fratris æmulus & antagoniſta. Ejus filius *Albertus* Lauream Patavii cepit anno ſæculi proximi ſexto decimo, eleganti oratione laudatus a *Franciſco Barbaro*. *Lapus* quoque *de Caſtiglionchio*, al. *Jacobus Florentinus*, Decretorum Doctor, ad quem multæ ſunt Petrarchæ epiſtolæ, Patavii docuit. Magni viri merita ex antiquis memoriis excitavit, vitamque deſcripſit clarus vir Laurentius Mehus, & Bononiæ edidit anno MDCCLIII. Sub idem tempus Decretales interpretatus eſt *Petrus Abbas S. Stephani de Carraria*, vir ſummus, qui Epiſcopali vacante ſede, Archicancellarii munus in Gymnaſio ſuſtinuit. Una cum illo docuit *Antonius de Naſeriis* ex Montaneana, Epiſcopus Feltrienſis & Bellunenſis, qui antea Papiæ Profeſſor fuerat; diciturque in ſchedis ejus ævi *Doctor eximius*.

Sed

Sed ne plebs quidem, ut tempora erant, & multitudo defuit. Eminuit autem *Jo. Ludovicus Lambertaccius* Patavinus, qui non ſolum ſcholas doctrina, ſed etiam Collegium Juriſconſultorum egregiis ſanctionibus illuſtravit. Inter cetera pervicit, Præſes cum eſſet, ut locus tam honorificus civibus omnibus pateret, qui eſſent idonei, cum antea certo Doctorum numero clauderetur, quemadmodum ſupra ſignificavi. Profeſſus eſt Jus utrumque, & quidem ex loco primo, ab anno MCCCLXXII. uſque ad ſæculi proximi initium, cum deceſſit. *Lambertaccio* illuſtrior civis ejus fuit *Franciſcus Zabarella*, qui in omni fere litterarum genere verſatus cum eſſet, Jus Pontificium ſumma eruditione interpretatus eſt uſque ad annum MCCCLXXIX. Hoc ipſo anno Florentiam ſe contulit; ibique cum triennium docuiſſet, ejus civitatis Epiſcopus deſignatus eſt. Sed cum poſſeſſionem, turbatis rebus, capere nequiret, rurſus ad ſcholas rediit Patavinas, in quibus bis in die docere conſuevit, & interdum etiam domi de Jure conſulentibus reſpondere. Anno demum ſæculi ſequentis decimo Florentinæ Eccleſiæ regimen cepit, & paullo poſt Cardinalis creatus eſt. Supremum diem obiit in Concilio Conſtantienſi fama ingens, laudatuſque eſt a Poggio, comitante funus Sigiſmundo ipſo Imperatore. Poggii oratio edita eſt Patavii anno MDCLV. una cum Petri Paulli Vergerii epiſtola, quæ laudatio altera, eaque ornatiſſima, dici poteſt.

Zabarella docente, excitati ſunt Patavini alii ad ejus laudes æmulandas, *Daniel de Rido*, *Ludovicus de Curtoſiis*, in primis autem *Baldus Boniſarcius*, qui *Plumbinas* dictus eſt, quod ex ſorore *Benedicti* Plumbinatis natus eſſet, ejuſque creviſſet hereditatem. Hic vero non de ſcholis modo, ſed de patria tota præclare meruit. Anno enim MCCCIC. Legatus ad Galeacium Vicecomitem, Mediolani Principem, corpus Franciſci ſenioris de Carraria in cuſtodia defuncti, impetravit, & Patavium tranſtulit; S. Franciſci templum,

ædeſque, & porticus adjectas exædificavit ære ſuo; & in proximo Noſocomium extruxit; quod deinde Sibilla uxor, Gualperti de Cepto filia, ornavit, auxit, dotavit. In ſuis quoque ædibus ſacellum condidit; ipſumque, & proximas domos ſodalitio, quod *S. Mariæ a charitate* dicitur, dono dedit. Etiam aliunde acciti in laudis contentionem venere, *Albericus Avogadrus* Bergomas, qui poſtea inter Cœnobitas Dominicanos nomen dedit, *Henricus de Alano* Tarviſianus, *Angelus Caſtilioneus* Aretinus, *Joannes de Capitaneis* Mediolanenſis, *Hieronymus de Florentia*, *Antonius de Civitella* Hetruſcus, & *Petrus de Ancharano* Bononienſis ex Farneſiorum gente, ut ferunt, qui docere cœpit anno MCCCLXXXV. habituſque eſt illius memoriæ doctiſſimus, & *Anchora Juris* nuncupatus. Horum plerique ſæculum proximum attigerunt, ſtantibus Carrarienſibus; quidam vero, etiam mutato civitatis ſtatu, operam ſuam Gymnaſio navarunt, pro modo quiſque famæ novis conditionibus revocati.

Quatuor prioribus ſæculi proximi annis, Carrarienſium poſtremis, excelluerunt in claſſe hac Veneti tres ex ordine Patricio, *Fantinus Dandulus*, qui tamen cito ad Rempublicam ſe contulit; inde autem ad Eccleſiam cum tranſiſſet, Epiſcopus noſter, & ſupremus Univerſitatis Cancellarius fuit: *Nicolaus Contarenus* Lucæ filius, qui cum Juris Civilis Profeſſor Patavii eſſet, Conſilia ſcripſit, & Commentarios in leg. *Liberorum* Dig. lib. 50. tit. 16. *de verborum ſignificatione*: *Petrus Maurocenus*, qui antequam Cardinalis eſſet, Sextum Decretalium in ſcholis expoſuit, & luculenta in eum librum edidit commentaria. Ex Patavinis admodum celebris fuit *Jo. Franciſcus Capiliſtius*, qui docendi munus auſpicatus eſt anno ſæculi primo; ſed poſtea publicis negotiis adhibitus cum diu vacaſſet, tandemque ad penſum redjiſſet, in cathedra ipſa repente defecit. Ejus æqualis *Proſdocimus de Comitibus* ab Jure Civili docendi auſpicia duxit; ſed poſtmodum cum ſe totum Canonico dediſſet, non collegas modo

ſuos,

ſuos, ſed plane omnes nominis celebritate ſuperavit. In rebus graviſſimis iterum ac ſæpius operam ſuam Reip. præſtitit: cumque anno MCCCCXXVI. Venetias ſe contuliſſet una cum *Fulgoſio*, & *Cumano*, ut de pacis legibus conſulerentur, quæ cum Mediolanenſi Duce componenda erat, ſui quemque ſecuti diſcipuli, certis inſignibus ornati, inſolitum civitati ſpectaculum præbuere. His accedunt ex civibus noſtris *Franciſcus de Bradiolo*, *Mediuſcomes de Mediiſcomitibus*, & *Franciſcus de Zenariis*, quorum memoria jure ac merito ad poſteros propagata eſt. Non defuere ex aliis regionibus alii, quos inter *Jacobus de Saliceto* Bononienſis, *Julianus Cæſarinus* Romanus, qui poſtea Cardinalis fuit, & *Joannes Ubaldinus* Prataleæ Abbas: ſed omnes poſt ſe reliquit *Joannes de Imola*, qui vix adoleſcentia egreſſus Jus utrumque Patavii profeſſus eſt fama doctrinæ tanta, ut Juriſconſultus ſui ævi princeps haberetur. Anno ſæculi ſecundo cum Ferrariam migraſſet, magna quadam abducta diſcipulorum caterva, cito revocatus eſt ſtipendio ingenti, docuitque uſque ad annum MCCCCXXII.

Artes quoque paullo magis hoc ſæculo excitatæ ſuos quaſi lacertos animoſe moverunt; quædam etiam hoc primum ſæculo in Gymnaſium receptæ ſunt. Nam Theologica ſchola anno dumtaxat MCCCLXIII. aperta eſt ex Urbani V. P. M. diplomate, ut ante dixi, qui eam juribus titulisque omnibus ornavit, quibus longe ante inſtituta Pariſienſis gaudebat. Qui primi docuere, indidem arceſſiti feruntur, ubi Cœnobitæ non pauci Italici generis ſtudiorum gratia degebant. Quomodo autem, qui per eos inſtruebantur, ſcholaſticos Gradus nomenque magiſtri adipiſcerentur, intelligi poteſt ex veterum diplomatum exemplis, quæ alias dedimus. Collegium hac de cauſſa conditum vix Collegii ſpeciem primis temporibus habuit. Non leges certas, non miniſtros habebat; Medicorumque Bidellis, ubi opus eſſet, utebatur; & Curiæ Epiſcopalis Actuario. Nunc Bidellum ſuum habet;

& licet eundem retineat Epiſcopi Actuarium, tamen Doctorum ſuffragiis quotannis committit, ſibique obnoxium facit. Sceptrum quoque argenteum aliorum Collegiorum exemplo, & ſigillum fieri curavit ex eorum pecunia, qui, quo die Lauream acciperent, prandium Doctoribus dare nollent; quo nomine argenteos ſinguli vicenos deponebant. Initio Magiſter unus ceteris præfuit Decani titulo; ſed poſtea additus illi Syndicus eſt, ſubinde vero etiam Conſiliarii tres, ut quidquid referendum ad Collegii Patres eſſet, ipſi prius examinarent; & ſiquid ex improviſo ingrueret, ſuo ipſi conſilio ſuoque arbitrio pro re nata expedirent. Scilicet nimia viſa eſt Decani auctoritas, nec alia de cauſſa creatus Syndicus eſt, quam ut legum cuſtos eſſet; ipſique Decano, ſi res poſceret, animoſe reſiſteret, ne Collegii jura ullo unquam tempore violarentur. Ad Decanum tamen pertinere voluerunt, ejuſque muneris eſſe Collegium convocare, & agenda proponere; Epiſcopis, aliiſque Principibus viris, ſi ferat occaſio, communi nomine officioſe facere; Acta & ærarium cuſtodire; Collegii miniſtros in officio continere; &, quod caput eſt, curam omnem induſtriamque adhibere, nequis per fallaciam ad Gradus ſcholaſticos obrepat. Principio ipſis quoque Profeſſoribus, communicato cum reliquis Patribus conſilio, veniaque ab Epiſcopo petita, penſa dabat ex quatuor Sententiarum libris Petri Lombardi, qui unus maxime in ſcholis noſtris adhuc dominatur. Duos autem ſæculo illo Theologos invenio, qui ſacræ Paginæ Profeſſores dicebantur, primum ex Ordine Prædicatorum *Fr. Jacobum de Conſortis*; ex Ordine alterum Eremitarum S. Auguſtini *Fr. Leoninum de Padua*. Nec ſane in tanta Actorum inopia, temporumque perturbatione plures quærendi ſunt; quamvis ſtudia hæc pro conditione rerum non leviter colerentur, veruntamen in clauſtris potius, quam extra clauſtra. Cum enim ſæculi ingenio ſalebroſa magis ſubtiliterque excogitata probarentur, quam ſimplicia & naturalia, ipſa quoque Theo-

logica

logica ſtudia non ſolidis modo priſcorum Eccleſiæ Patrum argumentis conſtabant, ſed & ſcholaſticis diſputationibus Dialectico more agitatis, ad acuenda Cœnobitarum ingenia, eorumque otia laudabiliter occupanda maxime idoneis. Hoc autem ipſum ad multa & magna religionis commoda ſubinde traductum eſt, & Scholaſticum Theologiæ genus nuncupatum.

Tardius multo inducta in Gymnaſium Metaphyſica eſt, & ſacrorum Bibliorum interpretatio; quod hæc ad Theologum, illa ad Philoſophum pertinere crederetur.

Nulla ex artibus omnibus citius ſe extulit, quam Medicina, quæ ſemper in pretio habita eſt, & a noſtris maxime culta ob valetudinis ſubſidia, quæ Patavino ſolo largita natura eſt. Sæculo igitur quarto decimo auſpicia præbuere *Petrus de Apono*, & *Mundinus* de Civitate Auſtria; ſed alter poſt ſæculi hujus annum ſeptimum ad Bononienſes demigravit, ibique docuit; & quædam ſcripſit præſertim de rebus Anatomicis, quæ poſteritatis quoque judicio probata ſunt. Porro *Mundinum* inter noſtros refero, quandoquidem anno MCCCVII. IX. Kal. Maj. in examine Aymerici de Polonia Promotoris partes egit, diciturque in Actis illis *Magiſter Mundinus de Civitate Auſtria Phyſicus, & Medicinæ Doctor, & actu Regens in Studio Paduano*. Ceterum tot tantique errores implicant nominum, ut alii ex pluribus *Mundinis* unum faciant, alii ex uno plures; nullumque horum nobis concedant. Mortuus eſt Bononiæ anno ſæculi hujus decimo octavo, patremque ejus Nerinum fuiſſe ferunt, qui inter Medicos Bononienſes ſæculo ſuperiore floruerat.

Aponenſis idem Medicus, Philoſophus, Mathematicus, & Aſtrologus cum *Mundino* ipſo, & poſt *Mundini* diſceſſum uſque ad annum vitæ poſtremum in Patavino Gymnaſio docuit, ſi paucos menſes excipias, quibus Tarviſii fuiſſe dicitur. Medicinam quoque fecit peritia & felicitate tanta, præſertim Aponenſium thermarum auxilio, ut viſus ſit ipſas

quo-

quoque naturæ vires medendo ſuperare, & cum ſpiritibus commercia jungere: quod nemo mirabitur, qui legerit apud Plinium lib. 30. c. 1. *Magicas vanitates ex Medicina natas eſſe, & ſpecie ſalutari irrepſiſſe*. Adhuc nomen ejus in ore multitudinis eſt, quæ multa refert ab eo facta miracula rerum, videlicet auctis in majus, quæ non intelligit. Philoſophiæ ac Medicinæ lauream Pariſiis obtinuit, ibique diu claruit, edito Syntagmate anno MCCCIII. in quo Philoſophicas controverſias cum Medicis componere niſus eſt, ſibique *Conciliatoris* nomen apud doctos acquiſivit. Nemo autem miretur, hominem Aponi natum tam longe ad ſapientiam comparandam peregrinari voluiſſe: nam Pariſienſis per id tempus Univerſitas una omnium maxime floruit. Obiit anno MCCCXV. ætatis ſexto & ſexageſimo; multoſque invenit, qui de ſe ſcriberent, ad orationis copiam mirabilia quærentes, nunc vero demum cultiſſimi ingenii virum Mazzuchellum, qui ſpartam hanc ſemel atque iterum ornavit.

Aponenſem excepit ejus diſcipulus *Nicolaus a S. Sophia* Medicinæ Doctor pro ætate illa præſtans, qui docuit uſque ad ſæculum medium. Scripſit etiam quædam, quæ, vivente Pignorio, adhuc extabant, Commentarium in Avicennam de Diæta, de febrium curatione libros duos, & libellum de morſu viperæ, ac ſinapiſmo. *Nicolaum* patrem imitati ſunt filii duo, *Marſilius*, & *Joannes a S. Sophia*, quorum alter non medicinam modo, ſed etiam Philoſophiam in Gymnaſio profeſſus eſt, *Artiſta eximius*, *Medicinæ rite Monarcha*, ut dicitur in ſepulchri titulo. Præſtantior tamen *Marſilius* habitus eſt, qui cum Patavii docere cœpiſſet, poſtea Papiam conceſſit, Joannis Galeacii Mediolanenſis Ducis, Carrarienſium hoſtis, partes ſecutus. Inde cum redjiſſet, pace compoſita, paullo poſt ad Bononienſem migravit Academiam, ibique docendo conſenuit, & mortuus eſt.

Cum his docuere *Bartholomæus de Campo*, *Benedictus de Topis*, *Bonus a Flumine*, & *Barnabas Dardanus* Venetus,

quem

quem celebrat Sanſovinus ad annum MCCCLXIV. libroſque de re Medica duodecim ſcripſiſſe ait. Sed reliquorum luminibus obſtruxit *Joannes de Dondis* idem Medicus, & Philoſophus, qui conductus a Florentinis anno MCCCLXVIII. cum diſceſſiſſet, poſtea redjit, verſatuſque in Gymnaſio eſt doctrinæ copia, & ſubtilitate ingenii tanta, ut vulgo *Ariſtotelis Anima* diceretur. Scripſit de Balneis Patavinis, vixitque uſque ad annum MCCCLXXX. ut eſt in ſepulchri indice apud Scardeonium: attamen in Actis Collegii Medici memoratur inter Promotores anno MCCCLXXXII. poſtridie non. Novemb. Id ſcilicet fiebat interdum fictione juris, ut auſpicia peterentur a magni nominis Profeſſore, præſertim ſi promovendus ex illius auditorio aliquando fuiſſet.

Diviſa jam in plures partes Medicina, auctiſque ſcholis, ut aliæ Theoricæ eſſent, aliæ Practicæ, aliæ Ordinariæ, aliæ Extraordinariæ, ne turba quidem Profeſſorum defuit. Sed ſiquis vires expertus, minus idoneas eſſe ſentiret, non diu ſe traduci patiebatur, præſertim in tanta illa ſcholaſtici ordinis licentia. Quotannis fere novi homines ad docendum accedebant. Quid enim attinet commemorare *Bartholomæum*, *Gulielmum*, & *Franciſcum a S. Sophia* Patavinos, *Hieronymum de Angeleriis* Venetum, *Petrum de Vareſio*, *Blaſium de Parma*, *Jo. Michaelem da Mainardinis*, *Paullum de Nuremberg*, *Antonium de Coneglano*, *Chriſtophorum de Dulcebovis* Mediolanenſem, *Matthæum de Lece*, *Petrum de Tanſignano* Bononienſem, & alios hujus generis, non quidem parum doctos, ſed illis certe impares, quos ſcholæ *famoſos* appellabant? *Petrus* tamen *de Tanſignano* & Philoſophus, & Medicus in patria cum haberetur, ad nos accedens famam retinuit, & Franciſci Carrarienſis auctoritate inter Collegii Doctores ſupra numerum receptus eſt. Longe præſtitit *Jacobus a Turre* Forolivienſis, Philoſophiæ primum, deinde Medicinæ Profeſſor. Itaque, etiam mutata civitatis dominatione, rurſus accitus eſt. *Alter Ariſtoteles*, & *Hippocrates alter* dicitur in ſepulchri elogio.

Non

Non tamen Græcas litteras calluit, quod ex ejus operibus ſatis conſtat; quamvis illi hanc quoque laudem plurimi liberaliter tribuant. Ejus Commentarii in primum Avicennæ canonem, in Hippocratis Aphoriſmos, & in Galeni Artem parvam ſæpius editi ſunt, & aliquando etiam in publicis ſcholis ad cognoſcendum & imitandum lege propoſiti; quamvis hoc tempore jaceant. Proxime acceſſere *Jacobus de Zannettinis* Patavinus, qui a Phyſica ad Medicinam Ordinariam translatus graves habuit cum *Angelo de Roma* controverſias; & *Petrus de Tomaſiis* Venetus, ejus æqualis, qui etiam poſt bellum cum aliquandiu docuiſſet, poſtea diſceſſit, ut in patria Medicinam faceret. Extant hujus epiſtolæ ad Philelphum, & Franciſcum Barbarum, tum etiam utriuſque ad ipſum. Mitto juniores duos *Joannem de Pera*, & *Bartholomæum de Mantua*, qui non docti modo, ſed etiam facundi habiti ſunt: mitto *Jacobum*, & *Balthaſſarem a Sancto*, *Joannem*, & *Nicolaum de Rido*, *Andream de Maſſolinis*, *Julianum de Rhodigio*, quos omnes ſub Carrarienſibus docuiſſe conſtat, quoſdam vero etiam poſt Carrarienſes. Non tamen mittendus videtur *Galeacius a S. Sophia*, quem Michael Savonarola in oratione de laudibus Patavii *Jacobi Foroliviensis* antagoniſtam vocat; nec *Petrus de Pernumia*, quem *curando*, & *docendo* excelluiſſe, ſcribit Scardeonius.

A Medicina ſeparari nequit Chirurgia, quæ tertia Medicinæ pars a Celſo dicitur, nec a Chirurgia disiungi debet ſocia ejus Anatome. Sæculo quarto decimo Chirurgiæ Profeſſores duo erant, certumque ſingulis decretum ſtipendium; quod totum uni dabatur, ſi forte duo præſtantes viri reperiri non poſſent. Ad Chirurgum pertinebat ſecare cadavera, cum Anatomicæ exercitationes fierent. Tres autem ſimul totum negotium conficiebant. Nam, ſecto per Chirurgum corpore, particula quædam ex *Mundini Anatomia* prælegebatur ab aliquo ex Profeſſoribus Medicis, & fuſius exponebatur: tum ab alio cadaveris pars, quæ in medio eſſet, oſtende-

ſtendebatur omnibus, additis quæ ad ejus notitiam uſumque pertinerent. Celebrantur his temporibus ex Chirurgorum claſſe *Benedictus de Galmarellis* Patavinus, qui inſignis Medicus a Scardeonio dicitur, atque omnibus litterarum ſtudiis ornatus, *Joannes de Janua*, *Nicolaus*, & *Franciſcus de Monteſilice*, & *Leonardus Bertopalea*, qui Chirurgiam profiteri cœpit anno ſæculi ſequentis ſecundo, & multa ſcripſit, quorum dedere catalogum Scardeonius, & Papadopolus.

Viguit maxime Philoſophia, eaque Peripatetica; ſed non tam a Peripato & Ariſtotele ducta, quam ab Ariſtotelis interpretibus & enarratoribus. In hac illi toti erant, qui ad Medicam artem ſtudia ſua referebant; nec aliter Medico philoſophandum putabant, quam ex Averrois, & Avicennæ doctrina. Itaque *Jacobus a Sancto*, quem inter Medicos numeravimus, *Jacobus de Zenariis*, & alii utriuſque diſciplinæ laude celebrati ſunt. Intra Philoſophos ſtetere *Gulielmus ab Aretio*, *Petrus de Prato*, *Matthæus a Leone*, & *Gulielmus de Regio*. Atque hunc quidem, ut tempora erant, valde præſtantem, multorumque judicio probatum Franciſcus Carrarienſis magnis conditionibus Patavium accivit; eumque inter Collegii Medici Doctores *ex gratia ſpeciali* referri juſſit, quamvis Gradus ſcholaſticos alibi recepiſſet. Nemo tamen unus ita præſtitit, ut ſæculi Philoſophus dici potuerit, poſteriſque ad exemplum proponi: quia nondum homines ſuſpicabantur, ſciri aliquid poſſe ſupra Ariſtotelem, certoſque induſtriæ ſuæ fines conſtituebant.

Minime omnium noti ejus ætatis Aſtrologi ſunt, cum tamen plurimi fieret Aſtrologica ſchola, nec unquam vacaret. Studia hæc primis temporibus late dominabantur, errore quodam hominum mentibus affuſo, ut Principes ipſi nihil fere ſine Aſtrologi conſilio aggrederentur: ſed cito, excuſſis nugis, nomina ipſa tale quiddam profitentium interierunt. Manet tamen adhuc *Gulielmi de Montorſo* Mutinenſis memoria, qui ante ſæculum medium Aſtrologiam in hoc Gy-

mnaſio profeſſus eſt magna quadam auditorum frequentia, & in ipſo munere objit. Sepultus eſt in S. Nicolai æde, addito cineribus elogio:

Quem Mutinæ rupes genuit Montorſia caſtri,
Gulielmus jacet hic nunc veri cognitor aſtri.

Ad Logicos veniamus, quorum ſchola, ut ante diximus, cum Gymnaſio ipſo ſtatim aperta eſt, ſed interdum cum aliis conjuncta. Sæculo, in quo verſamur, *Gulielmus de Tardona* Ariſtotelis Logicam interpretatus eſt non ſine aliqua nominis fama, & auditorum frequentia; ſed intra Univerſalium doctrinam ſtare conſuevit, ductiſque ex ea controverſiis, ſubtiliter diſputare. Hunc poſtea excepere *Ludovicus de Aretio*, *Joannes de Placiola*, & *Bartholomæus de Squarcialupis* Plumbinas, nondum Doctores, ſed *Licentiati* dumtaxat; quos ferunt non docuiſſe modo, ſed ingentia quoque de Logicis Inſtitutionibus volumina ſcripſiſſe; quamvis Logicæ dux & magiſter Ariſtoteles artem totam exiguo libro complexus ad ſummum faſtigium extulerit. Veruntamen quid opus eſt multos afferre? Inſtar omnium fuit *Petrus Paullus Vergerius*, quem ſeniorem vocant, ab omni fere litterarum genere ſatis inſtructus. Hic, juvenis adhuc cum eſſet, Dialecticam Patavii profeſſus eſt; ſed cito tamen ad alia migravit ſtudia, de quibus copioſe Papadopolus in To. I. p. 284. & Zenus in Diſſertationibus Voſſianis To. I. n. XVII. Ceterum nemo per ea tempora Logicam profitebatur, nec ſane profiteri tuto poterat, quin ſuum inter *Reales*, vel inter *Nominales* nomen daret, & in quotidiano illo certandi ſtudio, partium viribus & auctoritate ſcholæ ſuæ famam ſuſtineret.

Poſtrema operam noſtram poſcit Grammaticæ ac Rhetoricæ ſchola, cujus Faſtos, ob id ipſum quod poſtrema eſt, ad noſtra uſque tempora deducemus. Initio igitur ſæculi quartidecimi hoc genus litterarum profeſſus eſt *Vivarottus Amidanus*, de quo mentio eſt in ſchedis quibuſdam Collegii Medici ad annum MCCCVII. IX. Kal. Majas. Hunc excepere

cepere

cepere *Lazarus de Coneglano* , qui artis Grammaticæ Profeſſor dicitur anno MCCCLXXXVII. in vetuſto tabularii Epiſcopalis codice , & *Magiſter Zanettinus* , cujus memoria extat per Jacobum filium aræ appoſita in templo Eremitarum S. Auguſtini biennio poſt . Quamvis autem civitas ſæculo ferme toto incerta ſui , & modo Carrarienſibus , modo Auſtriacis , modo Scaligeris , modo Vicecomitibus parere coacta , ſæpius armis , quam litteris operam dederit , nunquam tamen Grammatici ſiluere . Hos frequenter memorant pauca illa , quæ ſuperſunt , Medici Collegii acta ; a quo Collegio ipſi quoque , non ſecus atque alii Profeſſores artium , pendebant ſacramento obſtricti . Nemo eorum valde excelluit , nec ſane inter tot tantaſque rerum viciſſitudines excellere potuit: niſi quis forte egregium Poetam Franciſcum Petrarcham huic ordini accenſere velit ; quod feciſſe Pignorium magis bonum civem , quam hiſtoricum , ſcribit Papadopolus .

Illud prætereundum non eſt , per hæc tempora probari ſtudentes etiam in Grammatica conſueviſſe , & Doctoris titulo ornari ; cujus rei in ipſis Collegii tabulis exemplum habemus ad annum MCCCXCII. Hinc *Magiſter Nicolaus de Padua* Grammaticæ Doctor vocatur in Juriſtarum codice XXXI. p. 13. Sed hic quidem revera docuit ; unde minime vana orta eſt appellatio , tametſi fortaſſe ſine Laurea docuerit . Huic addendus *Benedictus Bendedio* Lemniacenſis , qui Bononiæ Lauream cum obtinuiſſet , Patavinam Grammaticæ ſcholam rexit , ut eſt in præfatione Statutorum Lemniacenſium , & in ejus epitaphio:

Grammaticæ Doctor , interpres Rhetoricorum ,
Sermonum prorſus non ignarus Logicorum ,
Marmore Bendictus tegor hoc ego , ſalariatus
Grammaticæ Studio Paduæ , quondam cathedratus
Bononiæ , Portu Legnaci natus & ortus .

Anno MCCCCVII. cum jam in Venetorum ditionem & poteſtatem Patavium tranſiſſet , conquiſitis Italia tota Profeſ-

ſoribus celeberrimis, delectus eſt ad artem hanc tradendam, quæ nobiliore jam nomine Rhetorica dicebatur, *Caſparinus Barzizius* Bergomas ſtipendio argenteorum CXX. Ipſam quoque Moralis Philoſophiæ ſcholam eodem tempore regendam ſuſcepit, nihil veritus continuatum dierum omnium laborem. Onus autem hoc geminatum viri præſtantes ſibi depoſcebant, quia, cum certa eſſent ſcholarum ſtipendia, Rhetorica non tanti habebatur, ut ſola alere hominem poſſet. Idem uſurpatum fuiſſe in Academia Julia ſcribit Samuel Rachelius in præfatione Commentarii ſui ad Ciceronis Officia. Ceterum qui fortuita quoque ad rationem trahere conantur, ajunt duas has facultates recte conjungi Græcorum & Romanorum exemplo, qui, ad id ſignificandum, Hermathenam ex Mercurio & Minerva compoſuerant, eamque in Gymnaſiis locare ſolebant. Quadriennio poſt *Caſparinus* cum Bononienſibus egit, ut ad eorum Gymnaſium tranſiret: jamque omnia convenerant, ut conſtat ex pluribus ejus epiſtolis: attamen confectum negotium non eſt, adjectis ejus ſtipendio argenteis quadragenis, Fantini Danduli Prætoris opera. Nondum magiſtri titulum & Academicos gradus obtinuerat. Itaque anno MCCCCXIII. XVI. Kal. Oct. examinatus ſcholaſtico more, & probatus in Artibus eſt: quinquennio autem poſt inter eos quoque referri voluit, qui Gradus ſcholaſticos petentibus Lauream præbent, & Promotores a noſtris dicuntur, a Græcis fortaſſe melius Βραβευταί. Anno ſuperiore Conſtantiæ fuerat bona Principis venia per menſes duos; quo tempore egregiæ indolis adoleſcens *Franciſcus Philelphus*, ejus diſcipulus, ſcholam tenuit ſubſtituti jure ac titulo, ut mos erat; quandoquidem ipſe de ſe *Philelphus* tale quiddam gloriatur in epiſtola ad Leodriſium Cribellum. Poſtea Mediolanum *Caſparinus* conceſſit a Philippo Maria Vicecomite Urbis domino accitus; ut conſtat ex decreto Senatus, quo ejus ſtipendium aliis diſpertitum Profeſſoribus eſt. *Philelphus* quoque demigravit, ut Venetiis doceret. Rhetoris autem Patavini

tavini munus ſuſcepit anno MCCCCXXII. ſtipendio conductus argenteorum LXXX. *Victorinus de Rombaldonis*, vulgo *Victorinus Feltrienſis*, *Mathematicus*, *Philoſophus*, *idemque omnis humanitatis pater* publico numiſmate appellatus. Sed cito abjit ad inſtituendos Mantuani Principis liberos optimis conditionibus advocatus, quas refert Franciſcus Caſtilionenſis in ejus Vita. Anno ſequenti docere cœpit *Jacobus Languſcus*, al. *Languſthus*, Venetus florenis adſcitus octogenis; probatuſque in Artibus eſt quo anno docere deſiit MCCCCXXXI. Valuit ingenio, & ſiquid hoc ad rem pertinet, magnis ſuorum temporum amicitiis claruit, ut eſt in Diatriba Card. Quirini ad Epiſtolas Barbari. Cum redire *Caſparinus* decreviſſet, anno MCCCCXXX. conductus eſt ad quinquennium: ſed hoc ipſo anno Mediolani deceſſit, ut narrat Præſul doctiſſimus Joſeph Alexander Furiettus, qui ejus Opera collegit, vitamque eleganter ſcripſit. *Caſparini* loco conductus eſt decreto Senatus *Antonius Picinus* Bergomas, excluſo *Chriſtophoro Parmenſi*, qui electus ab Univerſitate fuerat, & Magiſtratui propoſitus, ut confirmaretur. *Picinum* excepit *Ægidius Carpius*, qui docuit uſque ad annum MCCCCXXXVI. quo anno fidem ſuam Bononienſibus obſtrinxit, ſuffecto in ejus locum *Matthæo de Rido* Patavino.

Anno MCCCCLI. *Laurus Quirinus* Venetus Patricius ex Colonia Cretenſi, Græce Latineque doctus, Artem dicendi, & Moralia tradidit ſtipendio aureorum XL. ut ipſe ſcribit ad Franciſcum Barbarum. Conductus eadem conditione in annum proximum diu hæſit, eaque epiſtola Barbarum conſuluit, quid ſibi agendum cenſeret, propoſita mercede tam exigua. Sed cum ejus augendæ ſpes oborta denique ceſſaſſet, in Cretam rediit, unde venerat. Plurima ſcripſit, quæ recenſet, fata ejus omnia complexus, Fr. Joannes de Auguſtinis in Venetorum Scriptorum hiſtoria. Subinde docuit *Bullengerus de Sicilia*, qui in vetuſto anni MCCCCLXX. monumento dicitur Grammaticæ Profeſſor, niſi forte extra

Gy-

Gymnaſium profeſſus eſt. Cum illo, vel ſtatim poſt illum collocandus videtur *Magiſter Dominicus de Rubea* Brixianus, qui anno MCCCCLXXII. nonis April. confirmatus eſt ad annum, ut refert Ingulſus de Comitibus. Memoratur etiam in ephemeridibus Monteroſſi menſe Martio MCCCCLXXIV. diciturque Rhetor & Græcæ linguæ Profeſſor. Eum excepit *Angelus Riminenſis*, anno MCCCCLXXVI. florenis conductus centenis; *Angelum* autem ipſum *Franciſcus Niger* Venetus, qui ſe ipſe Humanitatis in Patavino Gymnaſio Profeſſorem vocat in ſuo de conſcribendis epiſtolis Commentario. Sequitur *Cataldus Siculus* florenis ducenis Bononia evocatus, quem *Raphael Regius* in diſputatione adverſus *Joannem Calphurnium* appellat virum doctum, ſed *muneri profitendæ in tanta Academia Rhetoricæ minus aptum*. Hic autem ad Bononienſe Gymnaſium cum redjiſſet anno MCCCCLXXXII. *Regius* ipſe ejus locum occupavit, non tamen ultra quadriennium. Siquidem anno MCCCCLXXXVI. cum *Joannes Calphurnius*, quem eloquentiæ lumen vocat Caſſandra Fidelis epiſt. 3. in hujus ſe honoris contentionem obtuliſſet, *Regius* excluſus eſt. In pugna hac nullus ſervatus eſt modus; & ex ea potiſſimum cognoſci poteſt, non ſine graviſſimis cauſſis eligendi Profeſſores facultatem paullatim Univerſitati fuiſſe ademptam. *Calphurnius* tota vita locum obtinuit communi omnium judicio probatus, præterquam *Regii*, aucto etiam iterum ac ſæpius Principis munificentia ejus ſtipendio.

Græcæ quoque litteræ impenſe colebantur, Venetias exeunte ſæculo ſuperiore allatæ per *Manuelem Chryſoloram* Byzantinum. Allatas dico, non quod antea prorſus deeſſent, ſed quod, tum primum aperto ludo, ad commune civium commodum ſunt expoſitæ. Poſtea quicunque Rhetoricam traderet, Græcas quoque litteras attingebat: ſed qui ex profeſſo in Græcis verſaretur, primum *Demetrium Chalcondylam* Athenienſem invenio, conductum florenis quadragenis III. id. Oct. MCCCCLXIII. In Actis Epiſcopalis Curiæ an-

ni

ni MCCCCLXIX. affertur tamquam teſtis, diciturque Philoſophus, & utriuſque linguæ peritiſſimus. Quicunque autem haberet ſcholam hanc, quotannis probari per Univerſitatis ſuffragia debebat cum more, tum ex decreto Senatus. Id *Chalcondylæ* cum minime placeret, diſceſſit: & primum quidem Florentiæ, deinde Mediolani Græca æmulantium ſtudia juvenum cœtus habuit uſque ad annum MDXI. quo mortuus eſt. In ejus locum Univerſitas, nationum Concilio advocato, *Alexandrum Zenum* ſuffecit, presbyterum natione rituque Græcum, qui Pontificis indulgentia ad Latina ſacra tranſierat. Cum per annos quatuor docuiſſet, ut eſt in Ducali tabulario n. xxi. locum ceſſit *L. Camerti*, qui vulgo *Creticus* dicebatur, quod in Creta annos ſeptem ſtudiorum cauſſa commoratus eſſet. Huic autem an. MCCCCXCI. auctum ſtipendium eſt decreto honorificentiſſimo. Attigit ſæculi ſequentis annum tertium, quo anno xi. Kal. Sextil. quod *Creticus* in Luſitania eſſet Venetæ Reip. Nuncius, ſcholam hanc veluti fiduciariam occupavit *Marcus Muſurus* Cretenſis; idemque biennio poſt, *Cretico* defuncto, ſuam fecit ſtipendio ſane non magno, quod tamen auctum eſt ad florenos CXL. anno MDVIII. Hoc tempore tantus fuit animorum ardor, ac pæne impetus erga litteras Græcas, ut ſe Artium Rector valde comitatus Venetias contulerit, egeritque Univerſitatis nomine de ſchola inſtituenda, in qua Græci Ariſtotelis libri, & ea omnia, quæ a Græcis fontibus petita, ad Philoſophiam & Medicinam pertinerent, Græca eruditione explicarentur. In ejus verba Senatusconſultum factum eſt pridie non. April. MCCCCXCVII. quo munus tam grave *Nicolao Leonico de Tomæis* Epirotæ delatum eſt. Primus igitur omnium *Ariſtotelicos libros*, ut habet inſcriptio, quam illi Petrus Bembus in æde S. Franciſci poſuit, *Græco ſermone Patavii publice docuit* uſque ad quintum ſæculi proximi annum, magnamque eruditionis novitate admirationem movit. Neque tamen crediderim, Græcas acroa-

ſes,

ſes, ut quidam ſibi perſuadent, *Leonicum* habuiſſe, cum deeſſent ſcholis noſtris auditores idonei: propius fidem eſt, Græca ipſa Ariſtotelis verba afferri ab illo & explicari conſueviſſe, ſed ſermone Univerſitati uſitato. Non defuere plurimi laudis hujus æmulatores ſæculo tam exculto, vereque aureo; defuere poſt illud pro indita hominibus rerum affluentium ſatietate etiam optimarum.

Redeamus ad Latina. Cum anno MDIII. *Calphurnius* fato ceſſiſſet, *Raphael Regius*, qui amiſſi loci recuperandi deſiderium nondum depoſuerat, curavit, ut Principis auctoritate reſtitueretur; decretumque obtinuit; fruſtra adverſante Univerſitate, quæ ægre patiebatur minui jura ſua. Scilicet cum *Regius* viginti ante annis ſcholarium ſuffragiis fuiſſet probatus, id ſatis eſſe Senatus voluit, quominus, ſe hominem revocante, qui alias placuiſſet, jure queri Univerſitas videretur. *Regius* igitur Latinas Litteras, *Muſurus* Græcas uſque ad annum MDIX. tradiderunt, quo anno propter bellum ex fœdere ortum Cameracenſi Patavina ſtudia ſunt intermiſſa. Hoc ipſo anno Patavium venit, manſitque toto belli tempore *Ludovicus Cœlius Richerius* Rhodiginus; &, ſiquidem hac in urbe docuit, ut omnes qui de illo ſcribunt, affirmate narrant, per id tempus, quantum arma patiebantur, docuiſſe videtur. Nam ante bellum ſcholam habuit primo Rhodigii, dein Vicetiæ, tum Ferrariæ: poſt bellum autem anno MDXVI. Mediolani conductus eſt ad quinquennium. Anno MDXXII. in patriam rediit, ubi cum eſſet, anno ſequenti VIII. Kal. Majas allegatus eſt civitatis nomine ad gratulandum novo Venetiarum Duci Andreæ Grittio. Paucis poſt menſibus Patavii objit, quo fortaſſe docendi animo ſe contulerat; ſed eum docuiſſe, nullo monumento, nullaque memoria conſtat.

Pacis atque otii tranquillitate recuperata, reſtitutoque Gymnaſio, anno MDXVII. Latinæ Humanitatis tradendæ munus ſuſcepit *Marinus Becicchius*, vulgo *Becichemus* Scodren-

drenſis , adoptione Venetus , ex Brixianis ſcholis accitus ſtipendio florenorum LXXX. qui poſt biennium aucti ſunt ad centenos , quamvis fato temporum magna ſcholæ infrequentia doceret, ut ſcribit Bembus ad Ramnuſium anno MDXXV. Eodem Senatus decreto ad Græcas litteras electus eſt *Jo. Antonius de Maroſtica*, cui biennio poſt idib. Decembr. ſucceſſit *Romulus Amaſæus* a toto expetitus Gymnaſio, præſertim vero a Tranſalpina juventute , quæ Juriſprudentiæ operam dabat. Attamen anno ſæculi hujus quarto & viceſimo ad Bononienſem redire maluit Academiam , unde fuerat deductus ; ejuſque locum biennio poſt occupavit *Bernardinus Donatus* Veronenſis . Hic quoque anno vix exacto diſceſſit, maluitque Latinas litteras locis ignobilioribus profiteri , donec ad eas Venetiis tradendas anno MDXXXII. accitus eſt: quod obiter noto , nequis eum putet duobus ante annis morte ſublatum, ut aliqui ſcribunt. Nondum *Donatus* diſceſſerat, cum *Becichemus* diem objit; caruitque Gymnaſium Græca Latinaque Humanitate uſque ad annum MDXXX. quo *Lazarus Bonamicus* Baſſanenſis in *deſertam* , ut ipſe ſcribit , *ac prope depoſitam provinciam* venit. Utriuſque linguæ ſcholæque onus cum recepiſſet , diebus tum feſtis , tum profeſtis aſſidue docuit per horas duas. Biennio poſt cum Bononiam cogitaret, aucto ſtipendio confirmatus eſt .

Anno MDXLV. *Joannes Faſeolus* Græcæ linguæ tradendæ curam ſuſcepit , primuſque Simplicii commentarios in Latinum ſermonem vertit . At hic quoque non multo poſt, ſive æmulatione Collegæ , ſive conditionis augendæ ſpe cum Magiſtratu egit, ut ſibi duplicaretur onus . Facile impetratum. Itaque Senatuſconſultum ex Triumvirum relatione factum eſt , ut *Faſeolo* liceret cum Græcis Latina conjungere , modo per horam & ſemihoram quotidie in ſuggeſto eſſet, atque utriuſque linguæ auctores interpretaretur. Id fideliter præſtitit horis pomeridianis. Anno MDLII. objit *Bonamicus* , *quo nullus clarior Archididaſcalus ſæculo ſextodecimo*

ſuit, ut ait Papadopolus, qui ejus laudes fuſe perſequitur. Cum annos vixiſſet tres & ſeptuaginta, nihil litterarium edidit: pauca autem illa, quæ inter ejus ſcripta reperta ſunt, & ab amicis vulgata, viſa ſunt omnibus intra famam, quam ſibi docendo comparaverat. Huic ſtatim, cum *Paullus Manutius* fruſtra invitatus fuiſſet, ſucceſſor datus eſt *Franciſcus Robortellus* Utinenſis, qui Venetiis magna nominis celebritate docebat: ſed poſt annos ſex, relicto Patavio, Bononienſibus operam ſuam locavit. Suffectus eſt *Carolus Sigonius* Mutinenſis, ipſe quoque ex Venetis ſcholis evocatus. Verum, anno vertente, cum rediiſſet *Robortellus*, duo Græcæ, Latinæque Humanitatis Profeſſores conſtituti ſunt, qui antagoniſtæ eſſent, vulgo *concurrentes*, ut alii ex claſſibus aliis. Exarſere alter in alterum æmulatione tanta, ut, cum res ad factiones deveniſſet, uterque per dies aliquot publica ſchola abſtinere coactus ſit: qua de cauſſa *Rector cum Conſiliariis* (ut eſt in Actis Juriſtarum VIII. Kal. Dec. MDLXI.) *mandavit ſcribi litteras Clariſſimis Reformatoribus pro expeditione lecturæ Juris Canonici vacantis, pariter & pro lecturis Humanitatis; quia maximum affert incommodum toti Gymnaſio non habere lectiones Pontificii Juris, & Humanitatis*. Ad tollendas contentiones *Robortellus* Ethicam & Politicam ex profeſſo tradere juſſus eſt, Rhetoricam autem vel omittere, vel dicis cauſſa leviter attingere. Itaque *Sigonius* Rhethoricam provinciam tenuit late dominus; quam tamen ipſam anno MDLXIV. antagoniſtæ ceſſit, Bononiam magnis pollicitationibus invitatus. Eam recepit *Robortellus*, tenuitque uſque ad annum MDLXVII. quo mortuus eſt inopia tanta, ut ſumptus funeri defuerit. De publico elatus eſt, & in baſilica S. Antonii funebri oratione laudatus. Vir fuit eruditiſſimus, & multorum operum auctor, non tamen *Sigonio* adverſario par. Huc ſtatim ex veſpertina Græcarum litterarum ſchola evectus eſt *Faſeolus*, ſed omine parum bono. Cum enim in magna omnium ordinum frequentia præ-

fari

ſari cœpiſſet, vix prima prolata voce, ita eum memoria omnis animuſque deſecit, ut e ſuggeſto deſcendere, & concionem dimittere coactus ſit. Infortunium hoc, quod ceteroquin multis viris præſtantiſſimis ex omni litterarum memoria commune fuit, ita hominis exiſtimationem apud ſtudentium vulgus perculit, ut loco impar haberetur. Itaque anno MDLXX. invitatus eſt *Marcus Antonius Muretus* Gallus, qui Romæ docebat. Sed cum *Muretus* conditionem accipere noluiſſet, anno ſequenti datus eſt *Faſeolo* collega *Antonius Riccobonus* Rhodiginus, ille ipſe, qui primus Gymnaſii hiſtoriam adumbravit. Ægre tulit *Faſeolus*, & duobus poſt menſibus dolori naturæque ceſſit. Totum proinde onus incubuit *Riccobono* uſque ad annum MDXCIX. quo vivere deſiit, plurimis iiſdemque pulcherrimis editis libris, non de Rhetorica modo, ſed etiam de Philoſophia Morali, qui recenſentur in ejus vita apud Papadopolum. Facit vel maxime ad ejus laudem, quod cum Laurentius Lauretus Adriæ Epiſcopus Venetiis decubuiſſet, opimum funeris ſui laudatori præmium reliquit; modo is eſſet *Riccobonus*, bona Principis venia Patavio arceſſitus.

Anno MDC. evocatus ex Belgio eſt *Juſtus Lipſius*, quo nemo ea tempeſtate eruditior ferebatur; ſed cum avelli a ſuis nulla conditione potuiſſet, conductus eſt v. Id. Jan. *Paullus Benius* Eugubinus, S. Theologiæ Doctor, & quidem ſolus. Triennio autem poſt cum *Vincentius Contarenus* Venetus, annos natus ſex & viginti, operam ſuam ad vires experiendas obtuliſſet, novus ejus cauſſa apertus eſt ludus Græcæ Latinæque Humanitatis, qui diebus vacantibus extra ordinem exerceretur, decreto ſtipendio, quod nunquam augeretur, florenorum CC. Res *Contareno* recte cecidit; proindeque anno MDCVI. collega *Benio* datus eſt, ut diebus ordinariis eadem hora, ſed loco ſecundo doceret, aſſignatis florenis CCL. totiuſque anni penſione mutui nomine in anteceſſum ſoluta. Sexennio poſt confirmatus eſt, aucto ſtipen-

dio ad florenos quingenos. Anno MDCXVI. cum onus depoſuiſſet, oblatum eſt *Balthaſſari Bonifacio* Rhodigino, qui maluit Venetiis Jus Civile profiteri. Interim anno MDCXXII. poſcente Univerſitate peculiarem linguæ Græcæ ſcholam, munus hoc Fr. *Juliano Riccio* ex Ordine Conventualium delatum eſt, & diebus vacantibus addictum. Ludum aperuit novus hic Profeſſor oratione de linguæ Græcæ laudibus, eamque poſtea typis edidit. *Benius* autem anno poſt honeſtam miſſionem obtinuit, ita tamen, ut ejus nomen, quamdiu viveret, in Profeſſorum albo, qui *Rotulus* dicitur, propter hominis famam retineretur. Mortuus eſt Patavii anno MDCXXV. conditusſque in templo Monialium S. Claræ, ubi tumulum ſibi vivens fecerat, exteriſque aliis Profeſſoribus, qui inferri vellent. Plurima ſcripſit, quæ recenſet Papadopolus.

Sub anni exitum electi ſunt *Joannes Tuilius* Tirolenſis, & *Felix Oſius* Mediolanenſis, uterque ad Græcam Latinamque Humanitatem pari loco & ſtipendio; & ut omnia paria eſſent, eodem anno MDCXXXI. eodemque morbo ſublati ſunt. *Tuilius* quidem, ut ea ferebant tempora, habitus eſt eloquens. Iccirco iterum ac ſæpius ab Univerſitate delectus eſt ad gratias civitatis Moderatoribus communi nomine agendas; idemque laudavit in funere Anatomicos duos, *Hieronymum Fabricium*, & *Adrianum Spigellium*. *Oſius* eruditione potius valuit, quam celebrant Tomaſinus noſter, & Argelatus. Id vero maxime ad ejus laudem facit, quod primus publicæ Bibliothecæ præfectus eſt per ea tempora conditæ, libriſque inſtructæ.

Cum inſequenti anno XIII. Kal. Jun. ad ſcholam hanc electus fuiſſet *Georgius Camerarius* Scotus, fatis præreptus eſt; ſuffecto ſtatim *Catervo Diamantino* ex S. Severino, qui publicam ſcholam Arimini regebat. Secundum tamen locum dumtaxat obtinuit. Nam ad primum evectus eſt anno proximo *Octavius Ferrarius* Mediolanenſis, Grammaticorum &

Rhe-

Rhetorum illius ævi, pravo neſcio quo judicio corrupti, ſine controverſia præſtantiſſimus; cui poſtea, ſublato e vivis *Riccio*, ipſum quoque Græcæ linguæ penſum aſſignatum eſt. Deſierat ſcilicet tantus ille ſæculi ſuperioris impetus ad docendum & diſcendum; quod fere accidit rebus omnibus, cum faſtigium attigerunt. Neque enim in ſummo longa poteſt eſſe mora; ſed cum res eo pervenerunt, ut progredi nequeant, regrediuntur. Quare cum *Diamantinus* quoque, ſecundarum partium Rhetor, ſub initium anni MDCXL. objiſſet, nec ſucceſſor loco dignus reperiretur, ſolus *Ferrarius* provinciam totam occupavit; addita etiam publicæ Bibliothecæ curatione, auctoque illi ſtipendio ad florenos bis millenos. Unus maxime in Italia Græcam Romanamque eruditionem calluit; quod conſtat ex operibus ab eo editis, præſertim vero ex *Rei Veſtiariæ*, & *Electorum* libris: in dicendi autem arte cum ſibi placeret, orationeſque identidem emitteret, revera non æque fuit felix. Vixit uſque ad annum MDCLXXXII. atque ille in primis auctor fuit Vener. Gregorio Card. Barbadico, civitatis Epiſcopo, quem honoris ac pietatis cauſſa nomino, ut Græca ſtudia prope intermortua in novi Seminarii ſui ſcholis excitaret.

Locus vacavit per annos amplius tres, fruſtra invitato *Jacobo Gronovio;* donec *Nicolaus Caliachius* Cretenſis ex prima Philoſophiæ ſchola ad hanc traductus eſt, quam tenuit annos ferme viginti. Ejus laudes poſt Patinum abunde explicuit amicus ejus & conterraneus Papadopolus. Quod convenit inter omnes, in litteris Græcis excelluit, ſtudiumque hoc reſtituere, & propagare conatus eſt. Poſt editum heredis cura *de Mimis & Pantomimis* Commentariolum, eruditas quaſdam Diſſertationes ejus in Grævianam Antiquitatum Collectionem illatas Veneti typographi dedere anno MDCCXXXVII. Eo defuncto, ſucceſſit *Sebaſtianus Melchiorius* Tarviſianus, magiſter olim meus, qui, duabus recitatis atque editis pulcherrimis orationibus, ſponte ſe abdicavit, valetudinem cauſ-

ſatus.

ſatus. Extant orationes aliæ ab eo ſcriptæ, cum Seminarii Patavini ſtudiis præeſſet, in quibus ad exquiſitam Latini ſermonis lautitiam vix quippiam deſideratur. Poſtea ſibi uni vixit ſine cura ulla gloriæ ſuæ, & ſine obtrectatione alienæ. Venit in locum ejus anno MDCCX. *Dominicus Lazarinus* Maceratenſis, qui, quod olim *Faſeolo* contigerat, cum orationem primam in magna totius Gymnaſii celebritate haberet, deficiente memoria, repente obmutuit. Sed *Faſeolo* animoſior locum tenuit, & quod reliquum erat, de ſcripto pronuntiavit. Ego orationem illam gravem atque elegantem, cum auctor clauſis ſcholis abeſſet, pro mea erga illum benevolentia, typis commiſi. Ceterum vir magni & acerrimi ingenii cum eſſet ad exiſtimandum, non æque dicendi uſu valebat; prorſus ut Scævola apud Ciceronem de Clar. Orat. c. 39. *magis exiſtimator metuendus*, *quam admirandus orator*. Propterea cum primam acroaſim ſub initium anni recitaſſet, poſtea quam maxime poterat, publico abſtinebat. In privatis colloquiis & familiari conſuetudine libentius audiebatur, præſertim ab iis, qui novi ad eum accederent. Nam, ut ejuſdem Ciceronis verbis utar de Fin. l. 2. c. 4. *iiſdem de rebus ſemper quaſi dictata decantabat*, *neque a commentariolis ſuis diſcedebat*. Multa illum ſcite & commode dicta commendabant; habituſque eſt tamquam anteſignanus eorum, qui Grammaticas Alvari ſcholas cavillantur. Hoc illi valuit ad famam, & quidem in partem utramque. Mortuus eſt anno MDCCXXXVI. Dum viveret, quædam edidit, ex quibus jure ac merito laudatur, in primis autem Tragœdiam *de Uliſſe juniore* vernaculo ſermone ſcriptam. Poſt ejus autem mortem alii alia undique collecta typis commiſerunt, quorum pleraque carent amatoribus; nec ſane ab ipſo tanti fiebant, ut emitti vellet. Sed danda ſemidoctis famæ cupidis, hominibus plerunque honeſtis, hæc venia eſt, ut ipſi quoque in litterariam provinciam, quæ latiſſime patet, non ſecus ac propolæ ad emporium, per hujuſmodi collectiones ſibi aditum patefaciant.

An-

Antequam ſcholas noſtras attingeret, ediderat Grammaticum neſcio quid, aſſumpto Bagnarii nomine, de quo Papadopolus in To. 1. p. 260. & duas adverſus Germonium epiſtolas, ex quibus intelligitur, quantum Latinitatis ad nos attulerit. Nam Græca vix delibaverat. Sed cum valeret ingenio, &, quantum ſibi oneris in tanta litterarum luce eſſet impoſitum, probe ſentiret, magnoque ferretur æmulandi ſtudio, ea ipſa, quæ non attulit, cito acquiſivit.

Poſtremo ejuſdem anni menſe ex Philoſophia ad Humanitatem demigravit *Jo. Antonius Vulpius*, mitioribus ſtudiis ſuapte natura magis idoneus. Morbo diuturno tentatus, quem ipſe quoque in ſuis Operibus memorat, locum tamen retinuit, magnis fultus & meritis, & patrociniis. Tandem ad priſtinam valetudinem cum rediiſſet, non ſolum ſcholam ſtrenue rexit, ſed plurima ſcripſit ligata ſolutaque oratione; Catullumque, & ſocios ejus, Tibullum, ac Propertium, commentariis copioſiſſimis illuſtravit. Nunc ex Triumvirali reſcripto anni MDCCXL. docet, cum libet, fere autem alternis, ſemper tamen eruditione atque elegantia tanta, quantam loci dignitas poſcit.

IN·

INDEX

PARTIS I.

A

ABrahamus Gymnaſii Rector. pag. 24
Academia Julia. 52
Accurſius Regienſis. 10
Acta Gymnaſii incendiis abſumpta. 7. & ſeq.
Actuarii. 1
Agnus Phyſicus. 14
de Alano Henricus 42
Albertus Saxoniæ Dux Univerſitatis Rector. 15
Alexander Pontifex IV. 1
de Alvarotis Aicardus, Alvarotus, & Petrus filius. 40
Amaſæus Romulus. 57
Amidanus Vivarottus. 50
Anatome olim quomodo traderetur. 48
Anatomicæ exercitationes habitæ extra Gymnaſium. 25
de Ancharano Petrus. 42
Andreas Andreæ filius. 28
de Angeleriis Hieronymus. 47
de Anguſciolis Thadæus, & Joannes. 33
Anſaldus Hiſpanus. 1
Antenoris monumentum. 7
Antiani. 7
Antonius Venetus Epiſcopus Calamonenſis. 28
de Apono Petrus, ejuſque ſtudia, & fata. 45. & ſeq.
de Aretio Gulielmus. 49. Ludovicus. 50
ab Arena Jacobus. 32
Ariminenſis Joannes. 31
Ariſtotelis opera ex Græco & Arabico ſermone tranſlata. 4

Arith-

Arithmetica. 10
de Arquado Jacobus. 24
Arſegninus. 11
Arſendinus. 36
Arſendus Raynerius Bartholi magiſter, & antagoniſta. 36
Artes in Gymnaſio excitatæ. 43
Artiſtæ vox artis propria. Præfat.
Artiſtarum Univerſitas inſtituta, & conſtituta. 17. & 30
Aſtrologia. 10. Quanti olim fieret. 49
Auguſtanus Rodulfus. 7
Avogadrus, al. Advocatus, Albericus. 42
Auximani ſcholares. 28. & ſeq.
Aymo Gebennenſis. 5

B.

B*Achalarius* vox artis propria. Præfat.
de Bajalardis Bonus. 9
Baldus de Ubaldis, ejuſque merita 38. Angelus, vulgo Angelus de Peruſio. ibid.
Balzey Theodoricus. 32
Barbadicus Gregorius Card. Vener. 61
Barbarus Franciſcus. 40
Bartholus, ejuſque diſputandi ratio. 38
Barzizius Caſparinus, ejuſque doctrina & fata. 52. & ſeq.
de Baſteriis Henricus. 34
Becicchius Marinus, al. Becichemus. 56. & ſeq.
Belcarius. 9
Bendedio Benedictus. 51
Benius Paullus. 59. & ſeq.
Bertopalea Leonardus. 49
de Betha Bonifacius. 36
Bettina docuit Patavii. 35
Bidellus vox artis propria. Præfat. & 1. Bidellorum jura. 4

Boaterius Petrus. 18
Boccatici inſtitutio. 17
Bonamicus Lazarus. 57
Bonifacius Balthaſſar. 60
Bonifarcius Baldus S. Franciſci templum, & Noſocomium extruxit. 41. & ſeq.
Bonincontrus. 12
de Bononia Joannes. 7
Bononienſis Univerſitatis Theologica ſchola. 18
Bononienſe Gymnaſium interdictum. 1
Bononienſes ſcholares Patavium translati. 6
Bonus de Mora. 7
Borſellus Bartholomæus. 34
de Botton Dominicus. 31
Bovettinus de Bovettinis. 9
Βραβευτὴς, promotor. 52
de Bradiolo Franciſcus. 43
de Brancaſiccis Albicius. 18
Brixinenſis Villelmus. 13
Bullengerus de Sicilia. 53
Buzzacarinus Aldegrettus. 34
Buzzacarinus, ejuſque filii Fulco, & Salion. 9

C.

CÆſarinus Julianus. 43
Calamonenſis Epiſcopus. 28
Calaber Joannes. 31
Caliachius Nicolaus. 61
Calphurnius Joannes. 54. & 56
Calza Petrus. 9
Camerarius. 60
I. Camers. 55
Campanatus Ildebrandinus. 33

de

de Campo Bartholomæus. 46
de Canibus Bartholomæus. 36
Capiliſtius Gabriel. 34. Jo. Franciſcus. 42
de Capitaneis Joannes. 42
Capivacceus Bartholomæus. 40
de Caronellis Joannes. 32
Carpius Ægidius. 53
de Carraria Petrus Abbas S. Stephani. 40
de Carraria Jacobus Patavii dominus. 15. Ubertinus Gymnaſii reſtitutor. 16. Patavinos adoleſcentes mittit ad Pariſienſem Academiam. ibid. Franciſcus inſtituit Theologiæ ſcholam. 18. Nicolaus Prætor Bononiæ. 33
Caſalis Ægidius. 40
de Caſtiglionchio Lapus. 40
Caſtilioneus Angelus. 40
Cataldus Siculus. 54
Cataneus Altegradus. 10
Catervus Diamantinus. 60. & ſeq.
de Cautelis Ægidiolus. 40
Chirurgia. 48
Chalcondyla Demetrius. 54. & ſeq.
Chryſoloras Manuel. 54
de Civitella Antonius. 42
Clementis VI. diploma. 16. & ſeq.
Clerici olim dicti ſunt docti omnes. 3
Collegiorum Doctores augentur. 22. & ſeq.
Collegium Tornacenſe. 18. & ſeq.
Collegium Jacobi de Arquado. 24
Collegium Ridium. 29
de Columna Petrus. 6
de Comitibus Proſdocimus. 42
Computatoria. 10
de Coneglano Antonius. 47. Lazarus. 50
de Confortis Jacobus. 44

de Confluentia Jordanus. 17
Conſiliarii. 1
de Conſilvis Franciſcus. 40
Contarenus Nicolaus. 42. Vincentius. 59
Cornelius Flaminius. 13
Cortellerius Theobaldus. 40
de Cremona Nicolaus. 9
Cremonenſis Nicolaus. 17
Creticus. 55
Crucius Cæſar. 35
Cumanus. 43
de Curtarodulo Joannes. 40
de Curtoſiis Ludovicus. 41

D.

DAndulus Andreas. 33. Fantinus. 42
Dardanus Barnabas. 46
Dialectica. 10
Dinarius Ugo, & Aldebrandinus ejus filius. 9
Diſcalcius Ottonellus. 39
de Doctis Schinella. 9
de Doctoribus Alexander. 39
Doctor creari Patavii non poteſt, qui ſit alibi licentiatus. 23. Doctor quilibet honoris gratia docere in Gymnaſio poteſt. 24
Doctores privatim examinati, & coronati. 25
Doctoris titulus ad ſpeciem adhibitus. 40
Doctorum inſignia Eccleſiæ addictos ſignificant. 3. Doctorum examen imminutum. 25
S. Dominicus. 15
de Dondis Joannes adhibitus ad componendos cum Medicis Juriſconſultos. 36. Ejus merita. 47
Donatus Bernardinus. 57

de Dulcebovis Chriſtophorus. 47
Dulcis Victor templum S. Franciſci ædificavit. 37

E.

ECcelinus, al. Eccerinus, al. Acciolinus, al. Actiolinus. 1
Eccleſiæ addicti ſunt litterarum Profeſſores. 3
de Engelfredis Anſelmus, & Simeon. 9
Engelbertus Abbas. 13
Epiſcopus confert jus magiſterii. 3. Approbat alumnos Collegii Pratenſis. 19. Aliquando Gymnaſii Rector declaratus eſt. 8
Examen ad obtinendam Lauream ubi faciendum. 3. Tempore laxatum. 25

F.

FAbius Maximus junior. 34. Senior. ibid.
Fabricius Hieronymus. 60
Faleolus Joannes. 57. 58. & ſeq.
Faletrus Marinus. 25
Ferrarius Octavius. 60. & ſeq.
Ferrarienſes ſcholas quinam Patavini Profeſſores primum rexerint. 39
de Florentia Hieronymus. 60
Florentinus Jacobus. 40
a Flumine Bonus. 46
de Fornovo Petrus. 31
de Forojulio Benvenutus. 36. Pax. 13. Dictus etiam Pax de Padua. 14. Cur ſe artium miniſtrum vocet. ibid.
Folcarenus Marcus. 33
Foſcarus Franciſcus. 26. & ſeq.
S. Franciſcus. 15
Francofordienſis Jacobus. 17

Fri-

Fridericus Auſtriæ Dux, Romanorum Rex. 15
Fuſuda Joannes. 29. & ſeq.
Fulgoſius. 43
Furiettus Joſeph Alexander. 53

G.

GAllina Bartholomæus. 31
de Galmarellis Benedictus. 49
Galvanus. 40
de Garfano Petrus. 25
Gebennenſis Aymo. 5
Gentilis Fulginas. 16
Geometria. 11
Germanus Joannes. 5
Ghirardaccius. 37
Gloria Bartholomæus. 37
Græcæ litteræ. 54. & ſeq.
Grammatica quibus terminis olim contineretur. 10
Grammatici Doctores creati. 25
Gratianus de Gratianis. 24
de Griſing Borchardus. 16
Gronovius Jacobus. 61
Guideloccius, & Albertus filius. 40
Guizzardus Grammaticus. 12
Gymnaſium Rectore carere nequit. 8. Patavinum quanti olim fieret. 8. Ejus Statuta. ibid. Leges primævæ. Præfat. Ejus jura interdicto ſuſpenſa, & reſtituta. 6

H.

HErmathena quid ſit. 52
Hiſtoria civilis quomodo differat a ſcholaſtica. Præfat.
de Homodeis Signorolus. 37

Hu-

Humanitas ſcholæ titulus. 11

I.

de Janua Joannes. 49
Ildebrandinus Epiſcopus. 16
Joannes Grammaticus. 12. Joannes Phyſicus. 14
Joannes Andreæ cur aliquando dicatur *Joannes a S. Hieronymo*. 35. Bartholum diſcipulum habuit. ibid.
de Imola Joannes, ejuſque merita. 43
Irnerius, ejuſque interpretandi juris ratio & modus. 10
Julia Academia. 52
Juriſdictio in ſcholares Univerſitati conceſſa. 2
Juris Profeſſores, eorumque penſum, & ſtipendium. 3. & ſeq.
Juriſtæ vox artis propria. Præfat.
Juriſtarum Rectores ſibi obnoxios habuerunt Rectores artium. 27

L.

de Lambertacciis Ludovicus. 23. Collegium illuſtravit Juriſconſultorum. 41
Lambertus de Mediolano. 9
de Lampugnano Ubertinus. 40
Languſcus Jacobus. 53
Lauretus Laurentius. 59
Lazarinus Dominicus. 62. & ſeq.
de Lece Matthæus. 47
de Leone Matthæus. 49
Leonicus Nicolaus de Tomæis. 5
Fr. Leoninus. 44
de Leonixa Bernardus. 16
Licentia conventus. 23
Licentiatus ubi Lauream accipere debeat. 23

Li-

Lichanor. 33
Lipſius Juſtus. 59
Logica. 16
Loiſius Joannes. 37
Lucheſius. 12
Lugdunenſis Concilii decreta ad Patavinam Univerſitatem miſſa. 6
Lupatus Poeta. 7
Lyi fratres. 8. Lyus Antonius. ibid.

M.

de MAinardinis Jo. Michael. 47
Malumbra Ricardus. 33. Nicolaus. ibid.
Mandelbertus Ægidius. 36. Carolinus frater. ibid.
Manfredus de Manfredis. 9
de Mantua Bonifacius. 36. Bartholomæus. 48
Mantua Marcus. 58
Manutius Paullus. 34
de Maroſtica Jo. Antonius. 57
Maſſarii. 1
de Maſſolinis Andreas. 48
Matarellus Nicolaus. 34
Maurocenus Barbonus. 29. Petrus. 42
Mazzucchellus. 32. & 46
de Mediabbatibus Aldobrandinus, al. Ildebrandinus. 10
Medicina Patavii in pretio habita. 45
Medicinæ ſchola in plures diviſa. 47
Medicorum Collegium auctum. 22
de Mediolano Lambertus. 9
Mediuſcomes de Mediiſcomitibus. 43
Mehus Laurentius. 40
Melchiorius Sebaſtianus. 61. & ſeq.
Menla Franciſcus. 29. & ſeq.

de

de Merlaria Antonius. 40
Meretrices, & meretricium vectigal. 23
Metaphyſica. 45
Milantia Jo. Andreæ uxor Bononiæ docuit. 35
de Montaneana Dominicus. 12. Aldegrettus. 36
de Monte longo Joannes. 5
de Monteſilice Nicolaus, & Franciſcus. 49
de Montorſo Gulielmus. 49
Moralis Philoſophia. 52
Morandus. 12
Mora Bonus. 7
Mundinus, ejuſque patria, doctrina, & fata 45. Ejus Anatomia. 48
Muretus M. Antonius. 59
Muſurus Marcus. 55. & ſeq.
Muſſatus Albertinus, ejus Laurea Poetica, mors, & merita. 15. & ſeq.

N.

de NAſeriis Antonius. 40
Naſo Joannes. 28
Nerius de Nerlis. 17
Nicolaus IV. P. M. 6
Niger Franciſcus. 54
Nominalium ſecta. 50
de Novaria Franciſcus. 3
Nuncii Univerſitatis. 4
de Nuremberg Paullus. 47
Nythart Henricus. 31

O.

ODoardus Logicus. 14
de Ogento Nicolaus. 34

Oldradus de Ponte. 34
Oſius Felix. 60

P.

de PAdua Pax. 14. Leoninus. 44. Nicolaus. 51
Paduanus Grammaticus. 11. & ſeq.
Paliarinus Bartholomæus. 37. Angelus. ibid.
Papadopolus. 7. 30. & ſeq.
Pariſienſis Univerſitas floridiſſima. 45
Parleo Joannes. 39
de Parma Blaſius. 47. Chriſtophorus. 53
Patavini multi inter Beatos & Sanctos. 14. Libertatem exuunt. 15. Soli interdum ſcholas Gymnaſii tenuere. 16
Paucaterra Thadæus. 10
Pecuniæ æſtimatio primis Gymnaſii temporibus. 26
de Penna Joannes. 32
de Pera Joannes. 48
de Peraga Fr. Bonaventura. 22
de Periglis Angelus. 38
Peripatetica Philoſophia. 49
de Pernumia Petrus. 48
de Peruſio Angelus. 38
de Peto Petrus. 31
Petrarcha litterarum reſtitutor. 16. Obitus ejus, & funus. 21. & ſeq.
de S. Petronilla Henricus. 3
Petruccius Benedictus. 40
Philelphus Franciſcus. 52
Picinus Antonius. 53
Pileus de Prata dividit Univerſitatem. 17
de Pizzacominis Pizzacominus. 40. Paduanus filius. ibid.
de Placentinis Cyriacus. 36. Bartholomæus. ibid.
de Placiola Rolandinus. 32. & ſeq. Joannes. 50
de Plebe Nicolaus. 9

Plum-

Plumbinas Benedictus. 40
Poggius. 41. 51
Polonus Nicolaus. 5. Fridericus. 17. Laurentius. 31
Porcellinus Antonius. 32
Pragenſis Nicolaus. 31
Pratenſe Collegium. 26
de Prato Petrus. 49
Princivallis. 9
Profeſſores privatim docere juſſi ſine ſtudentium impendio. 6.
Eorum penſa, & ſtipendia. 3. 4. 26
Promotores. 52
Provincialis Henricus. 31
Publicam petere quid ſit. 27. & ſeq.

Q.

QUadriga libri titulus. 11
Quadrivium ſcholaſticum. 11
Quirinus Marcus. 10. Laurus. 53

R.

de RAgnina Matthæus. 28
Ramponus Franciſcus. 39
Realium ſecta. 50
Recitationes apud Græcos, & Latinos. 11
Rector primus, ejuſque adjutores, miniſtri, jus, & auctoritas. 1. & ſeq. In ejus electione quid ſpectandum. 2. Nunquam Gymnaſio defuit. 8
Rectores duo. 3. Augetur numerus. 17. 28. & 30
de Regio Gulielmus. 49
Regius Raphael. 54. & 56
de Repandis, al. Reprandis, Michael. 40
Rhetorica. 10. & ſeq.

de Rhodigio Julianus. 48
Riccius Julianus, 60
Riccobonus Antonius. 59
Richerius Ludovicus Cælius. 56
Ridium Collegium. 29
de Rido Nicolaus. 29. Nicolaus, & Joannes. 48. Daniel. 41. Matthæus. 53
Riminenſis Angelus. 54
Robortellus Franciſcus, ejuſque cum Sigonio contentiones. 58. Objit inops, & de publico elatus eſt. ibid.
Rolandinus, ejuſque Chronicon. 11. & ſeq.
de Roma Angelus. 58
de Rombaldonis Victorinus. 53
Roncalitrius Matthæus. 14
Roſatus Antonius. 24
Rotulus, vox artis propria. Præfat.
de Rubea Dominicus. 54
de Rufinis Jacobinus. 33

S.

de SAla Paganinus. 37
de Salerno Benedictus. 32
Salgardus Joannes. 39
de Saliceto, al. Salicetus Richardus. 39. Bartholomæus. ibid. Jacobus. 43
de Sancta Cruce Jacobus. 36
Sanctangelus Jo. Antonius. 37
de Sancto Georgio Joannes. 37
de Sancto Vito Boniacobus, & Ægidiettus. 39
de Sancta Sophia Nicolaus, Marſilius, & Joannes. 46. Bartholomæus, Gulielmus, & Franciſcus. 47. Galeatius Antagoniſta Jacobi a Turre. 48
a Sancto Jacobus, & Balthaſſar. 48. & ſeq.
Saracenus Joannes. 39

Saſ-

Saſſolus Philippus. 39
Saxoniæ Dux Albertus Gymnaſii Rector. 15
Saxus Stephanus. 9
Scaliger Canis. 16
Scholares, vox artis propria. Præfat. & 5. Eorum Jura. 4. Numerus 5. Quomodo componerent Univerſitates. 4. Primum modeſti, poſtea infeſti. 5. Migrationes minitantur. 5. & 17. Arma illis cur, & quomodo conceſſa. 4. Pro ædibus ſcholarum ſolvebant. 6
Schulhempflug Caſpar. 31
de Sebaſtianis Angelus. 32
Semidocti. 62
Sibilla Baldi Bonifarcii uxor. 42
de Sicilia Bullengerus. 53
Sigonius Carolus. 58
de Speciariis Philippus. 5
Spigellius Adrianus. 60
Spinellus Nicolaus. 39. Belfortis. ibid.
de Squarcialupis Bartholomæus. 50
Stennus Antonius. 37
Subſtitutus Rectoris. 2
de Suzaria Guido. 9
Syndicus. 1. 2. 44

T.

de TAdis Joannes, & Pax. 9. & ſeq. Joannes junior. 40
de Tanſignano Petrus. 47
de Tardona Gulielmus. 50
Tarviſianum Gymnaſium. 15
Teonitarius de Tedaldis. 7
Theobaldus de Theobaldis. 9
Theologiæ ſchola in Gymnaſium inducta. 17. & ſeq.
Theologi Univerſitatis primi, eorumque penſa. 44
Theologorum Collegium, ejuſque Officiales. 43. & ſeq.

Ther-

Thermæ Patavinæ. 45
S. Thomas Aquinas. 6
Tiſolinus Joannes. 39
de Titulo Paullus. 9
de Tomæis Leonicus. 55. & ſeq.
de Tomaſiis Petrus. 48
Tomaſinus. Præfat.
de Topis Benedictus. 46
Tornacenſe Collegium. 18
Tractatores Studii. 2. & ſeq.
Tredecinus Logicæ Profeſſor. 12 & ſeq.
Trivium quid ſit in ſcholis. 10
Tuilius Joannes. 60
a Turre Jacobus, ejuſque merita. 47. & ſeq.

V.

de VAreſio. 47
V de Ubaldis. V. Baldus.
Ubaldinus Joannes. 43
Vergerius Petrus Paullus. 39. 41. & 50
Vilelmus Brixinenſis. 13
de Vitalianis Vitalianus. 9
Vivarottus Amidanus. 50
Ulricus de Valſe. 16
Univerſitas diviſa in gentes duas. 3. In claſſes duas. 17
Urbani IV. Diploma. 3. Urbani V. 18. & 43
Vulpius Jo. Antonius. 63

Z.

ZAbarella Franciſcus, ejuſque doctrina, dignitates, & fata. 41. Bis in die docere ſolebat. ibid.
Zamboninus Phyſicus. 14

Za-

Zanettinus Grammaticus. 51. Jacobus ejus fil. 48
de Zenariis Franciſcus. 43. Jacobus. 49
Zenus Alexander. 55
Zunta Grammaticus. 12

Pag. XXXVII. dele *Bartholomæus Capivacceus*.

Digitized by Google

JACOBI FACCIOLATI

ORATIONES DUÆ

NUNC PRIMUM EDITÆ.

LECTORI

EXigui ponderis volumini veluti *mantiſſam* Orationes duas adjicio. Illæ mihi primum vix ſcholarum ſubſelliis egreſſo, & ad docendum traducto publicæ lucis aditum aperuerunt, ingenii rudimenta non ſane magni, ſed tamen ad magna contendentis, & laborioſi. Cum aliis eas dare ſæpe vulgatis nolui, quod mihi viderentur juvenili quodam impetu fuſæ, nec niſi pro ætate illa ferendæ. Nunc, quando de ſtudiorum primordiis agitur, habent ipſæ quoque ſatis cauſſæ, cur minore verecundia prodeant. Quod ſicui tamen vel extra locum eſſe, vel infra dignitatem forte videntur, is obſonio contentus mantiſſa abſtineat.

J U V E N E S

AD ELOQUENTIAM APTIORES ESSE, QUAM SENES.

O R A T I O I.

Habita xi. Kal. jan. MDCCVII. ad inſtauranda Seminarii Patavini Studia coram civitatis Epiſcopo

G E O R G I O CARD. CORNELIO.

VEterem illam atque uſitatam in litteraria concione dicturis formidinis profeſſionem, tritamque veniæ petendæ quaſi formulam, licet mihi in tantam hanc ingeniorum lucem nunc primum venienti, citra artis injuriam & hominum offenſionem prætermittere. Habent enim alii fere omnes, qui in publicum prodeunt, quid exiſtimationis amittant,

tant, ſi forte dicendo peccaverint: at ego, cujus vix ullus eſt umbratilis exercitationis uſus, fama vero omnino nulla, videor mihi in diſcrimen prope nihil adducere, de quo ſit magnopere pertimeſcendum. Videlicet juſſus accedo; nec ea ſane mente animoque accedo, ut ſtatim Oratoris partes nomenque occupem, tota plane ceſſurus provincia, ſi forte conatus hic primus in loco tam gravi minus proſpere videbitur cecidiſſe. Quamquam jubet me ipſa bene ſperare eloquentiæ ratio & natura, in qua ccniti laudabiliter, ut ut a me judicetur alienum, a mea certe ætate non vehementer abhorret. Immo ſiquis in adoleſcentes ingenio doctrinaque inſtructos convertat animum, inveniet profecto, facultatem hanc, ætate cum ætate collata, juvenum magis, quam ſenum propriam dici debere. Abſit dicto invidia. Hoc enim eſt, quod in præſenti, Auditores, contendo; ſi mihi pro veſtra humanitate datis atque conceditis, ut quo primum tempore dico, pro cauſſa mea dicam, idque ſumam argumenti, quod me in ſuſcepto inſtituto, ſi fieri poteſt, toto reliquo vitæ curſu confirmet. Verebar enim aliquando hujus aleæ periculum fortaſſe plus nimio; verentemque ſponte mea deterrebant inſuper hominum judicia graviſſimorum, a quibus eloquentia dicitur munus quaſi divinum, quod minime deceat juvenum levitati, ut ipſi loquuntur, demandari. Idcirco ſtatui, ſiquando mihi poteſtas fieret orationis, ea vobis exponere, quibus effici videretur, adoleſcentes ad eloquentiam non ſolum non eſſe ineptos, ſed etiam ſenibus toto genere magis aptos. Intelligo ſane, quanto diſcrimini objiciar; planeque ſentio, viſurum me illis monſtra afferre, qui ſentiunt, certis eloquentiam ac prope immenſis includi difficultatibus, quæ nunquam ab homine univerſæ, vel totius vitæ labore & contentione dumtaxat ſuperentur. Verum enimvero liceat mihi, non pro me quidem, ſed pro ætate pugnare mea; eamque ſupra ſenilem efferre, vel quod ita ſentiam, vel quod ingenium exercenti ardua movere inter-

dum

dum expediat, & in partem quamlibet animoſe diſputare. Neque enim hoc loco dicentes capite, vel fortunis dimicamus, ut eæ nobis ad decertandum controverſiæ deligendæ ſint, quarum certa victoria conſtet: ſed cum illud nobis propoſitum unice ſit, ut publicum aliquod induſtriæ ſpecimen exhibeamus, quid eſt quod magnopere laboremus, ſi forte cauſſæ vitio ceciderimus, modo in cauſſa ipſa explicanda ac defendenda non improbemur? Itaque ante denuncio, & ex animo teſtor, ita me pro juvenibus ſtare, ut ſenes tamen magnopere verear; eoque me animo partem hanc tueri, ut qui pro altera, ſi opus fuerit, pugnare paratus ſim.

Cum ætas non una ſit, quæ poteſt in certamen eloquentiæ deſcendere, ſitque mihi cum una tantum inſtituta contentio, pacem cum virili eſſe volo; eique de re tota non moleſte concedo, quod cum maximarum facultatum perfectam ſibi poſſeſſionem pro viribus naturæ vindicet, nequeat illi eloquentiæ principatus denegari. Juveni cum ſene hodierna diſceptatione res eſt. Juvenem porro cum dico, vigentem aliquem vitæ ſtatum intelligo, qui nec ſit infra annum quintum & vigeſimum, nec valde ſupra trigeſimum; quæ ætas promiſcue ſolet modo adoleſcentia, modo juventus appellari. Tria ſunt autem initio ſtatim diſtinguenda oratoris officia, quorum primum in probando, in delectando alterum, tertium in movendo collocatur; ut cum planum fuerit, triplici hoc laudis genere juvenes anteſtare, tum demum ſatis vobis eſſe factum de re propoſita arbitremini. Ajo itaque, adoleſcentiam ſenectuti comparatam copioſius invenire, quæ doceant auditorem; ajo, ſplendidius ornare, quæ inventa fuerint; ajo, affectibus uti multo aptius. Jam vero ut primum expediat oratio mea, quod eſſe debet in quavis oratione primum, quid eſt, cur tarda illa & fatigata ſenum ingenia cum juvenum vegetis, & ad excogitandum promptis conferantur? Quemadmodum enim ſenſus nobiliſſimi, auditus, & viſus, inclinata ætate dilabuntur, & una cum toto corpore ſenſim

ad

ad interitum ruunt, ita vis animi illa, quæ ingenium dicitur, ſeneƈtutis acceſſione minuitur, & in dies magis magiſque contabeſcit. Eſt profeƈto animus in corpore quaſi compagibus ſeptus & incluſus, ut nihil poſſit abſque ſenſuum opera aſſiduoque miniſterio ipſe per ſe moliri: unde facile intelligitur, animum ipſum conſenſu quodam naturæ ſentire damna corporis, miniſtriſque deficientibus ſuis, non poſſe non deficere, & una cum illis quodammodo conſeneſcere. Oratoria autem inventio & confirmatio non qualicunque efficitur ingenio, ſed magnam requirit vim ac virtutem, conatus ingentes, hominem totum; ut ſiquis propterea, ſenex cum ſit, in hoc ſe diſcrimen conjiciat, fruſtra ille quidem conetur, aut tale quiddam pariat, quales ſolent animantia fetus gignere, ſi forte exaƈta jam ætate effetaque natura concipiant. Quapropter Pythagoras cum inter humanæ vitæ ſtatus atque anni tempora comparationem inſtituiſſet, juventutem quidem hilari ac fecundæ æſtati, ſeneƈtutem vero horridæ hyemi, contraƈtæ, ſterilique ſimilem judicavit. Sed quod graviſſimum eſt miſeris ſenibus, ipſa etiam deſtituuntur memoria: ex quo facile conſequitur, ut, cum parum apti ſint ad ſua procreanda, ne alienis quidem uti poſſint. Ferremus enim illos æquiore animo, ſi cum minime valeant ingenii fecunditate, memoriæ tamen ope ſuffulti in commune penus excurrere poſſent, ſibique pro cauſſæ ſuſceptæ natura conſulere aliunde mutuantes. Quantulam enim in ſene putatis eſſe memoriam, in cujus exſucca organa atque obdurata rerum ſimulacra difficillime recipiuntur, quæque prius fuerant recepta, non ſecus atque imagines in veteri pariete depiƈtæ, ſitu ac ruina oblitterantur? Hinc intelligitis, quam nullum nobis negotium faceſſant, qui iccirco ſenem præferunt adoleſcenti inventionis laude, quod ille multa didicerit longo uſu, aſſiduo ſtudio, diuturna artium ac litterarum traƈtatione; hic vero admodum pauca pro vitæ curſu tam exiguo. Qua enim juvenes felicitate memoriæ valent, tam alte defigunt

ani-

animis, ac ſuum pæne in ſanguinem convertunt, quæcunque perceperunt, ſeu multa, ſeu pauca, ut illa, cum opus eſt, tamquam ex ingenio ſuo fundant, & vel ad ſubitos caſus gignere videantur. Verum adhuc ibi verſamur, ubi ad victoriam non ſatis momenti eſt; quod non ſit difficile, ut ait Auctor ad Herennium, invenire quid ſit cauſſæ adjumento, difficillimum vero ſit inventa expolire, unde exiſtit delectatio, quod erat ex oratoris officiis antea propoſitis partitione ſecundum. Fateor lubens: addo etiam, inventionem multis eſſe communem minime diſertis, elocutionem vero ita unius eſſe oratoris, ut ab ea artem dicendi omnem eloquentiæ vocabulo majores noſtri ſapientiſſime nuncuparint. At illud etiam affirmo, inter oratores ipſos multo eloqui ornatius juvenem, quam ſenem, ideoque alterum altero magis delectare. Enimvero orationes noſtræ liberi veluti noſtri ſunt, qui parentum naturam, mores, affectus ore ipſo atque habitu plerunque referunt: proinde qui fieri poteſt, ut ſicca illa, aſpera, ſtrigoſa ſenilis ætatis conſtitutio orationem gignat verborum delectu & poſitione concinnam, translationibus feſtivam, numeris ſuavem, ſententiis illuſtrem? Anni, anni ipſi profecto lætiſſima ingenia opprimunt, nec venuſte aſſurgere patiuntur; & qui, dum ætate florerent, lepore atque hilaritate redundabant, viriles annos prætergreſſi, ſalebroſum neſcio quem dicendi modum, & impexam antiquitatem conſectantur. Ipſe ille Iſocrates, cujus tota fere gloria, quamdiu oratorem egit, in numero & elegantia orationis fuerat, ætate in ſenium vergente, viſus ſibi inornatior, ſponte ſiluit. Et, nequis eum forte levitatis inſimularet, propoſiti ſui cauſſam explicuit in epiſtola ad Jaſonis liberos. *Puto*, inquit, *me quidem in conſilio dando valere: nam experientia ſenes inſtruit, atque efficit, ut quid expediat, acutius quam alii, perſpicere poſſe videantur. De propoſitis autem rebus ſuaviter, concinne, atque elaborate dicere jam non noſtræ ætatis eſt.* Ἡγοῦμαι συμβουλεύειν μὲν ἀκμὴν ἔχειν. αἱ γὰρ ἐμπειρίαι παιδεύουσι τοὺς

τηλικούτους, οἳ δοκοῦσι μᾶλλον τῶν ἄλλων δύνασθαι καθορᾶν τὸ βέλτιστον. εἰπεῖν δὲ περὶ τῶν προτεθέντων ἐπιχαρίτως, καὶ μουσικῶς, καὶ διαπεποιημένως οὐκ᾽ ἔτι τῆς ἡμετέρας ἡλικίας ἔργον ἐστίν. Nimirum graviora cogitamus, cum exuendæ mortalitati proximi ſumus; ac, ſicuti veſtem paullo lætius pictam, atque artificioſius complicatam, ita floridam dictionem & expolitam putamus ſenem hominem dedecere. Non ignoro, eſſe quoſdam aſperioris ingenii homines, quibus probetur, qualiſcunque ſit, ſenilis orationis jejunitas; ſtudeantque a vitio liberare, quod frigidum eſt, grave ſolidumque appellantes. Sed hujus generis homines nulli ſunt, opinor, in hac civitate, inter vos certe nulli, qui qua eſtis naturæ morumque ſuavitate, in rebus omnibus, quibus actio vitæ continetur, ampla & jucunda quæritis, in loquendo autem præſertim ac ſcribendo ab inornata iſtorum ſiccitate plane abhorretis. Itaque nihil mirum, ſi ſenum duritiem averſati ad juvenes oratores libentius acceditis: qua in re perinde facitis atque illi, qui fructus ex agro quærentes, non vetulas arbores, ſed novellas vegetaſque excutiunt.

At ego maxime vellem, ut genus hoc ſenilis eloquentiæ, quo duci ſe aliqui dicunt, certa aliqua in parte orationis deſignarent. Cum enim tardior ſit ſenex ad inveniendum, quod eſt antea pro modulo noſtro demonſtratum; cum ſit nihilo in ornando felicior, quod vix ullus, modo loquatur ex animo, negare auſit; num eſt tanta iſta dicendi præſtantia in animorum concitatione poſita, quod erat tertium a nobis propoſitum? Hic vero rogo vos etiam atque etiam, quod interdum facere in media oratione ipſi quoque poetæ ſolent, ut animos intendatis. Ut enim in movendo potiſſimum ars & virtus oratoris ſita eſt, ita quæ aptior videbitur ad movendum ætas, pro ea vos ſtare in præſenti controverſia oportebit. Certe, ut ad miſericordiam excitandam non inutilis ſit aliquando ſenectus, ad reliquos affectus pertentandos, iram, invidiam, ſpem, lætitiam parum valet.

Neque enim poſſumus ea concipere, a quibus natura ipſa abducimur, ignemque inde excutere, ubi nihil eſt niſi frigore & glacie quaſi quadam conſtrictum. Hac ſcilicet maxime in parte dicendi genus debet eſſe incenſum, acre, concitatum & ad pertrahendos audientium animos, quocunque pro cauſſæ neceſſitate libuerit, vehementiſſimum. Hic locus eſt, ubi audacter provocandus reus, vel gratia, vel opibus, vel nobilitate potens; quod quis auſit, niſi ille, qui & natura ferveat, & ſit virium ſuarum confidentia valde animoſus? Hic ubi imploranda judicum fides, odium creandum, incutiendus terror, minæ intentandæ, roſtra, ſubſellia, forum permiſcendum: quod certe præſtari ab illo nequit, quem vox, latera, ſpiritus ſenio deficiunt. Quid ſi ad milites verba facienda? Nonne ridiculum ſit ſenem producere in concionem? Quo ille pacto, qua vi erumpet in armatorum animos, audaces comprimet, timentes eriget, terrebit ſeditioſos, clamores faciet, tonabit, fulgurabit, bacchantemque exercitum, & quaſi lymphatum oratione ſua ad pugnam compellet? Hæc enimvero grandiora ſunt, quam ut capiat ſenum infirmitas: ac, ſicui forte contigit in foro & judiciis ætatem vitæ ultimam non infeliciter agere, in caſtris certe oratoribus iſtiuſmodi nec fuit unquam, nec poteſt eſſe locus. Sed a foro etiam recedant, ſiqui ſunt, juvanteſque conſilio acceſſuros ad ſe, abſtineant patrocinio. Fateantur non inviti ad maximum oratoris officium ſe minus idoneos; utque credant, facultatem ſibi non deeſſe optima quæque parandi, pronunciare ſaltem pro dignitate ſe poſſe diffidant. Juvat enim pronunciationem huic parti conjungere, non quod ad probandum & delectandum habeat momenti parum, ſed quod in movendo peculiarem quandam ſedem ſibi vindicet, ac veluti principatum obtineat. Rem paucis expedio. Modo enim reputetis, pronunciationis dignitatem figurata quadam vocis firmitudine, corporiſque motu contineri, jam arduæ non erit operæ judicare, utrum ille ad oratoriam pronunciationem

comparatus & idoneus dici poſſit, cujus frigida ætas & vieta vocem pæne omnem motumque laxavit, depreſſit, infregit. Indulgendum fortaſſe ſenatori: at in foro qui verſari velit, & cum populo agere, parum mihi ſapere videtur, cauſſamque prodere, ſi nec voce ſatis valet, nec geſtu ad ea, quæ dicit, in ſenſus hominum animoſque infigenda. Hæc autem quam vera ſint, oſtendunt reipſa oratores non pauci, qui gloria contenti florentibus annis parta, denique a ſole & a pulvere diſcedunt, ſcribentes domeſtico in otio ad aliorum utilitatem, quæ rerum uſu & experientia didicerunt, aut reſponſa dantes accedentibus tamquam ad oraculum. Quod ſiquis deſinere neſcit, *peccat ad extremum ridendus;* * & dum oratoris laudem extra tempus quærit, prudentis viri nomen & exiſtimationem amittit.

At enim habent ſenes, quo ſe tueantur; habent ſua quædam præſidia, quibus ad eloquentiæ laudem ſine intermiſſione contendant, nulloſque ſibi terminos niſi vitæ conſtituant. Primum quod jactant, auctoritas eſt, qua ſe putant in hominum animos quodammodo dominari, & quod ſuadent, facile perſuadere. Non diffiteor, plurimum ponderis habere auctoritatem, ſi in teſte ſit, ad fidem faciendam; at in oratore ſiquando valet, minus valet, quam iſti arbitrantur. Sed valeat interdum, ſiquidem M. Scaurus ** accuſatus hac una cauſſam ſuam feliciter dixit. Quid tum? Num idcirco tota eſt ſenectuti concedenda? Quid ſi etiam oſtendo, in ſene oratore plerunque dilabi? Domitium certe Afrum accepimus auctoritatem prioribus annis magno populi Romani conſenſu in foro partam, non ſolum non auxiſſe beneficio ſenectutis, ſed valde imminuiſſe; &, quod auctoritati nihil eſt contrarium magis, riſum frequenter illis ipſis, quibus ante admirationi fuerat, verecundiamque moviſſe. En vobis ipſum Quinctiliani teſtimonium ex libro Inſtitutionum XII. cap. XI. *Vidi ego*, inquit, *longe omnium*, *quos mihi cognoſcere contigit*,

* *Horat.* ** *Val. Maxim. l. 3. c. 7. n. 8.*

git, ſummum oratorem Domitium Afrum valde ſenem quotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem; cum, agente illo, quem principem fuiſſe quondam fori non erat dubium, alii riderent, alii erubeſcerent. Hinc cenſet egregius eloquentiæ magiſter receptui canendum, antequam in iſtas ætatis inſidias deveniatur; & relata integris viribus trophæa domeſtica in umbra procul a periculo cuſtodiri jubet. Sed ſit in ſene, & valeat auctoritas; numquid utilis in cauſſis omnibus oratori eſt? Imo vero interdum nocet. Itaque Cicero in cauſſa Sex. Roſcii Amerini, qui Syllæ dominantis opibus premebatur, ad ſe adoleſcentem ventum eſſe profitetur, quod oratores alii auctoritate atque amplitudine impedirentur, ne de republica verba facere auderent, & adverſus temporum iniquitatem in foro libere queri.

Alterum, quod nobis objiciunt, ſapientia eſt, quæ cum grande aliquid ſonet, multoque labore acquiſitum, eſſe non poteſt niſi in illo, qui diu vixit; eloquentiam autem ſine ſapientia frigeſcere ajunt uſque adeo, ut olim iidem haberentur ſapientes & eloquentes. Ego vero in duas claſſes veteres ſcriptores tribuo, qui de ſapientia meminerunt; quorum alteri ita eam in arctum detruſerunt, ut ſoli Deo conveniret *, cujus opinionis fuiſſe Simonidem ferunt, & Mileſium Thaletem; alteri vero ita amplificarunt, lateque fuderunt, ut non Philoſophis modo, oratoribus, ac poetis, ſed muſicis quoque ipſis nomen hoc tam auguſtum, Strabone teſte, impertirentur. ** Si in illorum placet ſententiam ire, divinum neſcio quid ſapientia eſt, omnem oratoris facultatem ætatemque ſupereminens. Quod ſi liberalius agentes cum ſecundis, ſapientiæ vocem latiore aliqua ſignificatione uſurpamus, nihil eſt cur cytharœdi & cantores appellentur ſapientes, orator vero, quamdiu floret ætate, nominis hujus honore careat. Qui revera valet eloquentia, valet etiam ſapientia.

Ter-

* *Ariſtotel. Metaph. l.* 1. *c.* 2. ** *Geogr. l.* 1. *&* 10.

Tertium denique reſtat, quod nobis opponunt, exercitatio dicendi. Quemadmodum enim, inquiunt, qui artes alias exercent, diu multumque agendo apti fiunt ad agendum; ita qui ſe Oratoriæ dediderunt, diu multumque dicendo apti fiunt ad dicendum. Atque illi quidem hac in parte ita loquuntur, ut non juventuti modo, ſed cuilibet ætati ſenectutem præferre videantur. Verum quid iſta, per Deos immortales, exercitatio eſt tamdiu producenda? Num eſt aliquid infinitum, quod comprehendi non poſſit niſi ſpatio vitæ totius? Ergo cum artes reliquæ certis finibus concludantur, ad quos florida vigenſque ætas poſſit pervenire, eloquentia ita moroſa eſt, ut non patiatur accedere ad ſe niſi cito morituros? Nunquamne igitur abſolvi poteſt dicendi exercitatio, niſi diſſolvi incipiat dicentis natura; ac tum demum ſperanda eſt eloquentiæ laus, cum jam erit de vita ipſa prope deſperatum? Cur porro ſcopulum iſtum nihil veriti Demoſthenes, Cicero, Craſſus, Cæſar, Hortenſius, ab ipſa adoleſcentia cauſſas graviſſimas ſuſceperunt; imo Romanorum prætextati nonnulli ante ipſum tirocinii diem in foro dicere auſi ſunt? Videtis, opinor, lectæ ſpei juvenes, diſputari iſta artificioſius ab adverſariis, ut ab hac gloria deterreamini. Eſt profecto eloquentia majus quiddam ac difficilius, quam quidam arbitrantur, nec ſine exercitatione parandum; ſed eſt tamen illud definitum, & intra hominis vires a natura poſitum: ac, ſicuti qui aſſidua annorum aliquot exercitatione fruſtra contendit ad eloquentiam, eum fas eſt affirmare ad dicendi laudem non eſſe natum; ita qui ad illam natus eſt, modica quadam exercitatione non poteſt non fieri orator. Quid igitur reſtat, niſi ut magnos animos ſumatis, atque illuc properetis, quo laboribus veſtris atque induſtriæ patere aditum boni Superi voluere? Ipſe vos Rhetorum arbiter Quinctilianus * evocat ex umbra, & in conſpectum prodire jubet, ne nimium ingenio diffidentibus id demum contingat, quod Porcio

cio

* *Lib.* 10. *c.* 5.

cio Latroni contigiſſe refert; qui cum ab umbratili ludo, ubi exercendo ſtilo prope conſenuerat, in forum eſſet tandem aliquando deductus, cœpit impenſe rogare, ut in baſilicam ſubſellia transferrentur. Adeo, & jure ille quidem, lucem publicam formidabat, qui prima illa ætate, qua omnia fidenter audemus, luci publicæ non aſſueverat. Ergo erubeſcendum multis ex vobis fuerit potius, quod tam exiguos in oratoria arte progreſſus feceritis, quam pertimeſcendum, ne illam niſi ſub vitæ finem adipiſcamini. Ad me quod attinet, qui viam præire jubeor, ſtudio conatuque omni contendam, ut quæ dixi fieri poſſe, naviter faciatis. Adeſt vobis auctoritate & patrocinio Princeps Eminentiſſimus, qui cum bis in anno diligentiam veſtram in ſcholis adhibitam, eorumque induſtriam, qui vos inſtituunt, præſens expendat, rectiſſime novit, quos fructus ætas quælibet hoc in genere ferat, eoſque pro ſuo jure a vobis nobiſque repoſcit.

SENES

AD ELOQUENTIAM APTIORES ESSE, QUAM JUVENES.

ORATIO II.

Habita XI. *Kal. jan.* MDCCVIII. *ad inſtauranda Gymnaſii Patavini Studia coram civitatis Epiſcopo*

GEORGIO CARD. CORNELIO.

SIquis eſt unus, qui poſſit ſe ipſum lædere non gravate, theſaurumque domeſticum, quod proverbio vetamur, calumniari, is hodierna luce mirabitur, cur ego inuſitato quodam timore perculſus ad dicendum accedam, nec animo ſolum, ſed voce quoque ipſa, præter coronæ expectationem erga nos tam benevolæ, contremiſcam. Videlicet propoſitæ ſuperiore anno controverſiæ partem alteram propugnare jubeor; delatamque per me hoc ipſo in loco adoleſcentibus eloquentiæ palmam idem ipſe cogor abripere, ſenibuſque nihil tale ſperantibus orationis contentione tribuere. Non ego profecto is ſum, qui poſſim, quemadmodum Græcus Carneades ad Romanos Legatus, & pro juſtitia, & contra juſtitiam diſputare: ac ſi hodie rem viribus longe majorem aggredior, cogitate, ab eo mihi impoſitum fuiſſe onus, cujus & judicium ſummopere vereor, & imperium nequeo ſine piaculo detrectare. Tametſi, ut vere dicam, illa me cogitatio valde erigit, quod, ſive feratis, ut contendo, pro ſenectute ſenten-

ſententiam, magnum mihi ſolatium oboriatur, cujus orationi tantum tribuiſſe videamini; ſive magis adoleſcentum vobis cauſſa probetur, jure nihilominus gratuler egomet mihi, cujus ætati in re tam gravi altera illa, audita utrinque cauſſa, cedere compellatur. Quicunque autem me manet exitus, illud a vobis initio ſtatim peto, ut reputetis, non quid adverſus adoleſcentes dici poſſit, ſed quid adoleſcentem dicere conveniat. Nonnulla quidem afferri libere poterunt, & ornari; plura tamen erunt tractanda levius, quaſique ſummis labris delibanda; aliqua etiam innuenda dumtaxat; non pauca omnino reticenda. Tametſi res adeo ipſa pro ſenibus pugnat, adeo Scriptorum ſuffragia conveniunt pæne omnia, ut ad illorum cauſſam tuendam non magna ſit opus eloquentia. Dicam pro tenuitate mea, pro temporis modo, pro cauſſæ genere non admodum copioſe; ut ex hoc ipſo intelligatis, uberem illam & præclaram dicendi facultatem, quæ oratorem conſtituit, majoris ætatis eſſe.

Qui hac in cauſſa pro adoleſcentibus diſputant, omnino tria ponunt, quæ cum probarint concioni ſuæ, neceſſe ſit ſenectutem de tota eloquentia æmulæ ætati concedere; quod nos ipſi præteriti anni ſtudiis ex hoc ornatiſſimo loco proludentes, efficere conati ſumus. Nimirum videtur adoleſcentia probare plenius, quod vivida & ubere virtute valeat ad inveniendum, ſitque quaſi ver humanæ vitæ, cui vix liceat frigidam effetamque ſenectutem comparare: tum creditur delectare facilius propter feſtivam quandam & redundantem ingenii vim, qua nihil non elegans, lætum, mirabile conſectatur, jacente fere ſenectute inter ſicca omnia, dura, impexa, & antiqua: denique ad movendum aptior prædicatur, quod affectuum concitatio ferme omnis ex ignea naturæ facultate, voce, ac lateribus proficiſcatur, quibus quanto plus valent adoleſcentes, tanto minus valere ſenes, ita ferente natura, neceſſe eſt. Hos ſcilicet ipſos nobis fines terminoſque ſtatuimus, ſatis ſenectuti facturi, ſi oſtenderimus, eam probare

multo utilius, quam adoleſcentiam, ornare aptius, flectere vehementius.

Sane cum moribus ſuis & nomine ipſo potiſſimum fidem faciat orator, ſæpiuſque perſuadeat is qui dicit, quam id quod dicitur, quid eſt quod nos ignoti adhuc nulliuſque auctoritatis adoleſcentes ei hominum generi bellum moveamus, qui longa dicendi conſuetudine id jamdiu aſſecuti ſunt, ut in foro regnent, & Curia? Hæc nimirum a primis uſque litterarum temporibus ætatis hujus noſtræ calamitas fuit, quamdiu erunt litteræ, duratura, ut quoties in roſtra aſcendimus, circumſpiciant nos undique homines; ad ea, quæ dicimus, aſſurgant curioſius; quærant moroſi vel in ſcirpo nodos, ex præjudicata illa opinione, quod nequeat optime dicere, niſi qui diu multumque dixit. Quo fit, ut non liceat nobis niſi in cauſſis privatis & levioribus verſari, in quibus non requiritur dicentis auctoritas; ſenibus interim publicas illas graviſſimaſque ſuſcipientibus apud Centumviros, ad populum, in Senatu. Parit ſiquidem ipſa per ſe vita honeſte acta etiam ſine exercitatione dicendi fructum quendam auctoritatis in ſenectute, ut & M. Scaurus ſimplici ſe negatione defendere in populari judicio potuerit, & Menenius Agrippa Romanam plebem ſeditione concitatam fabella compeſcere. At enim Cicero adoleſcens Roſcii Amerini cauſſam in publico judicio adverſus Chryſogonum Syllæ dominantis libertum feliciter defendit. Ita ſane: ſed ſtatim poſt abjit in Græciam, ibique triennium commoratus eſt. Numquid ille adoleſcens contra Rullum Tribunum plebis, legeſque ejus agrarias dicere auſus eſſet? Hic vero in primis Tulliana apparuit eloquentia, quæ coegit Tribus Romanas, ut Plinius ait, abdicare alimenta ſua: ſed eloquentia erat jam matura, & ſuam quandam prope ſenilem auctoritatem adepta, per quam viſus eſt orator popularis, dum populi commoda oppugnaret. At in iis, quibus nondum per ætatem emergere licuit ad hominum exiſtimationem, quid poteſt eſſe momenti ad fidem facien-

faciendam? Omnia ſunt extra nos quærenda; agendum rationibus, tabulis, teſtibus, more majorum; iis denique inſtrumentis omnibus, quæ poſſit quiſque maxime artis, induſtriæ, ingeniique auxilio invenire. Ubi tamen etiam a ſenibus vincimur, quorum ut major eſt rerum uſus, doctrinæ copia, eruditionis apparatus, ita uberiorem oportet eſſe ingenii fœcunditatem ad ea promenda, quæ auditores utiliter doceant. Neque enim recte exiſtimat, qui hiemem quaſi aliquam appellat ſenectutem, cujus vietum ingenium ſit ad res novas gignendas, & ad veteres efferendas labefactata memoria. Profecto nec Sophocli ingenium defuiſſe dici poteſt, qui omnino grandis natu tragœdiam edidit, nec Iſocrati, qui quarto & nonageſimo anno Panathenaicum ſcripſit, nec Platoni, qui quæ in ejus operibus maxime præſtant, ſumma ſenectute litteris mandavit. Memoriam ſane haud inficior, ingraveſcente ætate, fieri plerunque minorem; quod omnes fere laboris tædio, cum ſenuerint, linguæ ac ſtili exercitatione abſtineant, qua maxime alitur memoriæ facultas, & ſuſtinetur. Ceterum da mihi oratorem, qui ſemper in acie fuerit, ſemperque ſi non dicendo, ſaltem ſcribendo egerit aliquid, non modo obliviosum non deprehendes, ſed vix intelliges, utrum magis ingenio, an memoria valeat. Sunt enim iſtæ colligatæ inter ſe animi virtutes, mutuiſque creſcunt auxiliis, ut, quemadmodum juvenes pauca reminiſcuntur, quia pauca ediſcere potuerunt, ita ſenes quia perceperunt plurima, memoria quoque plurima teneant. Ex hac rerum plurimarum recordatione legendo parta, meditando, & agendo, ſapientia illa eſt, ſine qua nec ſenator bonus, nec probabilis orator eſſe poteſt. Quapropter Solon egregie ſagax lege cavit, ne quis in ſua civitate adoleſcens magiſtratum gereret, aut fieret publici conſilii particeps; Lycurgus autem Spartanos pueros ad mediam uſque ætatem in agros amandavit; omneſque bene conſtitutæ reſpublicæ curia adoleſcentes prohibuerunt, Senatumque ipſum a ſenibus appellarunt. Utinam

autem hæc conſilii imbecillitas, quæ nos arcet a Curia, non etiam removeret a luce forenſi, quod ſimus hic quoque & ad inveniendum tardiores, & ad ea, quæ invenimus, diſtribuenda parum idonei. Id affirmate, quamquam non ſine dolore, dico: niſi forte eſt aliquis hoc in loco, qui neſciat, inventionem ac diſpoſitionem opus eſſe doctrinæ, atque experientiæ, quæ duo ab artium ſtudiis & exercitatione potiſſimum pendent. Proinde quicunque nobis hoc nomine veterum monumentis laudantur, ii vel magna ac diuturna rerum adminiſtratione hoc ſibi præſidium pepererunt, ut Agamemnon, & Menelaus; vel plena quadam diſciplinarum notitia, quemadmodum Socrates, vel regionum ac gentium perluſtratione, ſicuti Ulyſſes; vel ipſa demum vitæ diuturnitate, uti Neſtor, qui valde ſapiens, quia valde ſenex, a Poeta ſapientiſſimo appellatur. Veſter igitur hic campus eſt, Senes ſapientiſſimi, ubi pro gravitate conſilii, rerumque uſu optima quæque colligitis, eaque ſuis momentis examinata & expenſa in oratione collocatis. Contra adoleſcentes ſuo quodam ætatis impetu atque ardore permoti, e ſchola in forum evolant, cauſſaſque ſuſceptas, vix ullo habito delectu, redundantia ſermonis onerant, judiceſque fatigant. Attamen iſtiuſmodi verborum ſartago levioribus ingeniis adeo placet, ut inde etiam exiſtere oratoriæ facultatis partem ordine ſecundam, elocutionem videlicet arbitrentur: perinde quaſi eloqui nihil ſit aliud, quam plurimum loqui, concionemque obruere conquiſitis undique figuris, effatis, ſententiolis, ſeu bene, ſeu male congruentibus; prorſus ut Medici quidam faciunt, qui farcimina multis conflata ſuccis ægroto præbere ſolent ipſa nominum varietate ſuſpenſo, & mirum quiddam expectanti. Si hoc demum eloqui eſt, concedimus non gravate eloquentiam adoleſcenti; ſed ſenum modum, atque adeo ſiccitatem, ut iſti vocare malunt, magis laudamus, qui ea tantummodo ex omni apparatu deligunt, quæ & ſolida ſint, & rei propoſitæ cohæreant apte, & loco temporique reſpondeant; plane ut arboribus contingit,

quæ

quæ cum ætate proceſſerunt, fructus edunt nec ita multos, nec ita venuſtulos, ſuaviores illos tamen, magiſque ſalubres. Ego certe (utinam & poſſem in hac virium mearum tenuitate præſtare quod ſentio) ego, inquam, non in vaſta illa ſtructura orationis, & copia verborum blande cadentium ſtatuo dicendi elegantiam, ſed in preſſo & Attico dictionis genere, ſententiarum gravitate, & figurarum temperatione, tamquam luminibus, judicio & ratione diſtincto; ut torvam illam potius referat Macedonum aciem, equis armiſque præclare inſtructam, quam molles Perſarum copias auro gemmiſque fulgentes, quibus non modo non terreatur hoſtis, ut Dario exprobravit Charidemus, ſed potius ad prædam alliciatur. Sunt enim & ſua dicentibus arma, & cultu prope bellico ornatur oratio, quæ ex umbra domeſtica prodeat ad forenſes impetus ſuſtinendos. Ac, ſicui libitum eſt domi alere gloriam ſuam, extra contentionum diſcrimina copioſe & ornate ſcriptitando, quales ex Græcis Thraſymachum Chalcedonium fuiſſe ferunt, Leontinum Gorgiam, Theodorum Byzantium, & omnium inſtar Iſocratem; hi tamen ipſi λογοδαίδαλοι nunquam ornaſſe melius viſi ſunt, quam cum ſenectutis beneficio minus in ornando laborarunt. Habet, ut fateamur quod res eſt, concinnitatis nonnihil ac deliciarum juvenilis oratio ad alliciendos homines, ſed eſt totum illud vinis recentioribus ſimile, quæ quo plus habent dulcedinis, eo ſunt fæce majore permiſta; vetuſta vero aſperiora illa quidem, ſed tamen puriora ſunt, & ſaluberrimi ſaporis plena. Deliberandum eſt de bello, aut de pace in Senatu: quid tu mihi molli quadam minimeque ſenatoria verborum volubilitate ſententiam dicis? Concitandi judices in Verrem, Miloni conciliandi: quid tu verbis uteris blande concinnatis, quæ ſint ludo magis ac ſcenæ apta, quam veræ illi gravique judiciorum concertationi? Agendum ad populum, inflammandi milites, placanda ſeditio: quid troporum fuco, & numeroſæ orationis ambitu delicias facis? Si te iſtiuſmodi lenocinia delectant,

quin eo in genere verſaris, quod epidicticum nominant, ubi liberius poſſis verborum ac ſententiarum ornamentis, omnique figurarum genere laſcivire? Veruntamen memineris, te unum aliquem de Sophiſtis hac ratione futurum, non vero Oratorem. Eſt enim quiddam eloquentia ſupra phaleras poſitum ac myrothecia; & ille ipſe Iſocratis Panegyricus, quod tinnulus nimium & circunfluens, viſus eſt Ciceroni infra Oratoriam majeſtatem jacere, artemque ſapere Sophiſtarum. Id, niſi fallor, in cauſſa eſt, cur mediocrem verborum ornatum de induſtria ſenes conſectati, malint interdum minus politi videri oratores, quam ipſum oratoris nomen luxuriantes amittere. Neque enim credibile eſt, abſumptam eſſe ornandi vim ſenectute; quaſi vero quod rebus corporeis accidit, ut uſu conterantur, id animo etiam contingat, ut longa cogitandi conſuetudine exareſcat. Imo vero creſcit in dies ex cogitationum abundantia ſermonis copia uſque adeo, ut inter ſenilis ætatis vitia garrulitatem in primis numeremus. Quod ſi temperant ſibi, natura obnitente, cordati homines, ut veram illam non Sophiſtarum, ſed oratorum laudem conſequantur, næ ille parum ſapit, qui neſcio quos juveniliter exultantes ſenibus præfert. Jam vero ad animorum motus veniamus, quod erat tertium a nobis initio propoſitum. Videte, Auditores, quam ſit ſenum ætas ad omnes eloquentiæ laudes una comparata, ut cum inveniat copioſius, quam adoleſcentia, cum ornet gravius, poſſit etiam hoc ipſo movere vehementius. Colligantur enim hæc communi quodam vinculo inter ſe, docere, delectare, movere, ut qui vel artis, vel naturæ ope ſupra ceteros ſit acutus, ac politus Orator, nequeat in tractandis animis non eſſe callidiſſimus. Ut autem hic locus eſt, ex quo maxime vehementis oratoris copia & virtus effloreſcit, ita plus litterarum, ingenii, doctrinæ, uno verbo ætatis plus poſtulat. Eſt enim difficile quiddam, longaque induſtria & labore parandum, penitus ingredi naturas hominum, eorumque intimos ſenſus & cogita-

tiones

tiones introſpicere, ea cuique ut commemores; quibus maxime doleat, lætetur, invideat, iraſcatur, timeat, exardeſcat. Fit autem interdum, ut boni adoleſcentes ſpecioſa aliqua quæſiti doloris pompa in lacrymas effuſi riſum excitent; & reo ſuo miſericordiam imploraturi, judicum in ſe indignationem moveant. Venia tamen aliqua ætati concedenda, quod judicum animos fere turbare nequeant, niſi qui & in accuſatores multa ingenioſe retorqueant, & judicibus ipſis caute minitentur, & de republica libere dicant, & temporum ac morum conditionem aliqua cum invidia querantur: quod quidem cum dignitate præſtabit nemo, niſi ſit idem ſenectutis auctoritate munitus. Hinc enim ſecura quædam exiſtit παῤῥησία, qua Philoſophus ille Solon, Piſiſtratum tyrannum animoſe inſectatus cum eſſet, interroganti cuipiam quid ita auderet, non alio, reſpondit, præſidio tutus, quam ſenectute. At adoleſcens quam ſit oportet in querelis cautus, in accuſationibus parcus, in omni dicacitatis genere meticuloſus, præſertim vero ſi magiſtratibus velit ac reipublicæ dare operam! Ergo nimis putant vulgare negotium, & in medio poſitum eloquentiam, qui cum de animorum perturbatione diſputant, rei totius difficultatem in nervos ac latera conferunt, & munus oratoris longe graviſſimum ſtrepitu vocis, jactatione manuum, ac pedum ſupploſione confici poſſe arbitrantur. Eſt certe momenti plurimum in geſtu ac motu corporis, in vocis ac laterum firmitate ad vim orationi addendam; nihil tamen hujuſmodi ſupra vulgi virtutem eſt, ſi careat prudentia illa, quæ tota longi eſt uſus, ætatiſque valde maturæ. Quamquam, unam ſi tollatis iracundiam, reliquæ affectiones animi univerſæ quieta illa ac remiſſa ſenum oratione agitantur multo facilius, quam tragicis adoleſcentum clamoribus, quibus rei plerunque nihil ſubeſt, quemadmodum nihil continetur vaſculis, quæ maxime tinniunt. Acuto in primis verſutoque ingenio opus eſt, ut concionis animi pertententur; omnes philoſophiæ ope & auxilio pernoſcendæ na-

turæ

turæ vires; cujuslibet ætatis, ſexus, ordinis, dignitatis mores ac ſtudia pernoſcenda: tum, ſi vocis, oculorum, atque oris totius liberalis quædam accedat conformatio, ne illius quidem actionis laus, quæ concitata dicitur, in ſenectute deſiderabitur. An non enim M. Cato apud Ciceronem * gloriatur, ſe annos natum quinque & ſexaginta legem Voconiam bonis lateribus ſuaſiſſe? Nonne Cyrus apud Xenophontem negat ſe unquam ſenectutem expertum ulla in parte ſuperioribus ætatibus imbecilliorem? Scilicet eorum effœta ſenectus eſt, & a publico arcenda, quorum fuit vel vitioſa adoleſcentia, vel tota ſuperior ætas otioſa. At vero honeſti hominis vox perficitur uſu, vires actione confirmantur, manus oculique erudiuntur exercitatione, & talis quidam efficitur dicendi habitus, ut ſemper æquabiliter, ac ſine labore dicamus. Hinc illa eſt actionis dignitas, eruditorum ſcriptis tantopere commendata, qua cum media extremaque ætate mirum quantum excelleret Demoſthenes, adoleſcens tamen adeo caruiſſe fertur, ut quoties in publicum eſſet proditurus, eam ſibi domi aliquanto ante per otium compararet, adhibito etiam ſpeculi auxilio. Nimirum fieri nequit, ut is recte agat, qui diu antea non egerit; cumque omnis fere ars tempore atque uſu perficiatur, quis ſibi perſuadeat, actionis oratoriæ facultatem annis & exercitatione amitti? Actionis dico? Quid eſt, oro vos, in toto hoc dicendi munere, quod non dicendi uſu magis paretur, quam ſchola & præceptis, atque adeo illa ipſa diſciplinarum omnium ἐγκυκλοπαιδεία? An non ſæpe adoleſcentes illuſtri ingenio præditi, doctrinaque inſtructi, quod nondum ſe dicendo ſatis exercuiſſent, duriuſculi in toto genere viſi ſunt; ſenes vero natura rudiores, pertinaci tamen exercitatione mirabilem quandam ſermonis facilitatem adepti, in foro curiaque regnarunt? Quædam enimvero ſunt & in artibus, & in rebus omnibus, quæ anni ipſi ſuapte vi afferunt; noſque inepti ſumus, ſi naturam pervertere conamur,

* *de Senect.*

namur, maturitatem ejus ac perfectionem ad acerbitatem revocantes. Tota reclamat antiquitas, omnis in nos exſurgit Scriptorum turba, ſancitque, graviſſimum Oratoris nomen nemini antea uſurpandum eſſe, quam & in foro, & in roſtris, & in curia, & ubique multa quaſi ſtipendia meruerit. Quo ſpectaſſe crediderim Iliados primo Muſarum patrem Homerum, qui eloquentis viri exemplum daturus, novam quandam ſenectutem ab adoleſcentia remotiſſimam effinxit, Neſtoremque ſuum, tribus denique exactis humanæ vitæ ætatibus, oratorem appellavit. Et vero ſapientiſſime ille quidem, ut nihil non ſapienter. Si enim rerum ſcientia oratori eſt neceſſaria, annis ſcientiam comparari, libro Inſtitutionum ultimo * ſentit Quintilianus: ſi morum diſciplina, ab ejus poſſeſſione adoleſcentes removet in primo ** Ethicorum Ariſtoteles: ſi auctoritas, ſi gravitas, ſi ſapientia, hæc omnia inter ſenectutis fructus numerat M. Tullius in Catone, in Oratore, in Bruto. Sed ego licentius fortaſſe, quam oporteat, rem perſequor; verendumque magnopere, ne mihi commiſſos adoleſcentes præter inſtitutum operis finem a dicendi ſtudio deterream. Verum enimvero quidni potius majores capiant animos vireſque intendant, dum reputant, quod adhuc conſequi non potuerunt, fieri tamen poſſe ut aliquando conſequantur? Colligite hinc, ſeduli juvenes, non exiguis conatibus, nec paucis illis artis præceptis, quæ a nobis accepiſtis, fieri vos protinus oratores poſſe: tota propemodum vita ſtrenue laborandum, cognoſcenda antiquitas, addiſcenda philoſophia, Romana jura legeſque tenendæ, de moribus hominum optima quæque volumina pervolvenda, ut eam vobis dicendi præſtantiam comparetis, quam pro dignitate & amplitudine ſua nemo unquam potuit niſi tarde comparare. Quod ſiquis tamen veſtrum mature adeo in hoc laudis campo verſari cœpit, ut ætatem anteverterit, acceptum id referat Principi noſtro Eminentiſſimo, cujus imperio, ſapientia, & auſpiciis ardua quæque aggredi licet, Superiſque faventibus efficere.

* *c.* 11. ** *c.* 3.

FASTI
GYMNASII
PATAVINI


JACOBI FACCIOLATI

OPERA COLLECTI

AB ANNO MCCCCVI. VENETÆ

DOMINATIONIS PRIMO

AD JUSTITIUM ANNI MDIX.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLVII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU ET PRIVILEGIO.

SERENISSIMO VENETIARUM DUCI

FRANCISCO LAURETANO

JACOBUS FACCIOLATUS.

QUemadmodum Patavina litterarum & artium Univerſitas cum in Venetorum ditionem venit, ipſum ante omnes civitatis Ducem ac reip. Caput Michaelem Stenum venerata eſt, ejuſque ſe imperio, fidei, ac tutelæ, commiſit; ita ego ejuſdem Univerſitatis Faſtos ab ea tempeſtate ſcribere aggreſſus, a te, PRINCEPS SERENISSIME, auſpicia peto, totumque hoc quid-

quid eſt, tibi veteri formula do, dico, dedico. Quem enim potius appellem, quam illum, qui idem dignitatis faſtigium tenet, cui ad regiæ majeſtatis ſpeciem, quantum in libera civitate decet, nihil deeſt; cujus nomine & auctoritate acta Senatus omnia, conſulta, decreta, litteræ in publicum prodeunt? Ac Stenus quidem, & qui proxime ſecutus eſt Thomas Mocenicus, ita amplificarunt & ornarunt Patavinum Gymnaſium pro recenti, qui ſolet eſſe vehementior, poſſeſſionis ſenſu, ut, illecta undique juventute, ſena circiter ſcholarium millia in matriculas ſingulis annis referrentur. Nunc rei litterariæ ſtatus, temporum ratio, atque hominum mores tale quippiam ſperare vetant. Attamen habet ſæculum bona ſua, quibus acquieſcere æquum eſt: & quemadmodum ex hominibus nullus eſt, qui omnia ſimul habeat, & omnibus horis ſapiat, ita civitates & imperia aliter alio tempore valent, alia atque alia vertentibus annis felicitate fruuntur. Non deſunt, quæ tempora tua & Principatum ornent, etiam quod attinet ad litterarum ſtudia. Nam res libraria per hos annos ita crevit, ut pauca ſint

merci-

mercimonii genera, quæ illam ſuperent. Scholis quoque adjumenta & præſidia multa comparata ſunt ad Phyſica ſtudia, ad Chymica, ad Anatomica, ad Mathematica commodius atque utilius colenda; ut jam proficere volentibus nihil ſit aliunde quærendum. Ne illud quidem omittere debeo, ineunte ſæculo XVI. Patavinas Muſas, quæ diſperſæ per urbem male habitabant, auſpicio Atavi tui Leonardi Venetiarum Ducis ad apparatiſſimas Bovis ædes fuiſſe traductas; cujus rei memoria adhuc extat numiſmate propagata. Quid quod ſcholæ omnes, quæ paullo poſt, ingruente bello, clauſæ neceſſario fuerant, vix compoſitis rebus, ejus Principis virtute ac ſapientia citiſſime apertæ ſunt, & priſtino ſplendori reſtitutæ? Accipio omen.

Utinam vero hæc Venetæ hiſtoriæ particula ornatum & amplitudinem caperet: ſed & ipſa per ſe tenuis eſt, nec eam qui ſcribit, ita valet ingenio, ut rei mutare naturam poſſit, & de parvis, quod dicitur, facere magna. Curavi certe pro viribus, ne muneri deeſſem; ut id qualecunque eſt, tibi potiſſimum, PRINCEPS SERENISSIME, probare-

tur,

tur , tuaque prodiret auctoritate munitum & gratia ; non illa modo , quam fortunæ tuæ loci altitudo conciliat , ſed illa maxime , quam tute tibi animi magnitudine , vitæ ſplendore , humanitate , liberalitate apud omnes conciliaſti . Cetera nobis Deus Opt. Max. totique Patavino Gymnaſio numine ſuo & providentia fortunet.

RECTO-

RECTORES JURISTARUM

AB ANNO MCCCCVI.

USQUE AD MDIX.

Quo intermiſſæ Scholæ ſunt belli cauſſa.

QUod ii faciunt, qui, longis itineribus peregre ſuſceptis, in ſilvam forte incidunt, ut cum exierint, vota initio nuncupata renovent; idem mihi facere neceſſe eſt, poſtquam ex illis rerum ac temporum tenebris emerſi, quæ Patavinum Gymnaſium, totamque provinciam hanc ſuperiore ſeculo tenuere. Quod igitur bene vertat, Gymnaſii hujus regimen poſt annum MCCCCV. explicaturus, ab Juriſtis incipio.

Compoſita anno MCCCCVI. ad Venetæ dominationis formam civitate, de Gymnaſio quoque, ejuſque regimine cogitari cœpit. Sed quia in tanta novitate rerum inveniri nullus potuit, qui Rectoris onus ſumeret, Juris ſtudioſis utriuſque nationis, Ciſalpinæ ac Tranſalpinæ, datus eſt Pro-

rectror *Bartholomæus de Apulia*, patria Beneventanus. Ad augendam autem Gymnaſii frequentiam & celebritatem, Senatus claudi Tarviſianum juſſit; decrevitque, ut qui legum, vel artium ſtudiis ex omni Veneta ditione operam daret, Patavii dumtaxat probaretur, nomenque & jus magiſterii obtineret. Extat adhuc anni ſequentis decretum pridie Kal. april. perſcriptum, quo ſcholæ aliæ Veneti dominii omnes poſt S. Lucæ feſtum ceſſare jubentur; pœnæque graviſſimæ in eos ſanciuntur, qui alibi, quam Patavii, docere aliquid publice ex omni diſciplinarum claſſe ſupra Grammaticam auſi forent. Eodem Senatuſconſulto quaterna argenteorum Venetorum millia in Gymnaſium quotannis expendenda decernuntur: quæ ſumma pro illorum temporum conditione ingens dici poterat. Ceterum res tota Sapientum Collegio mandata eſt.

Anno demum hujus ſæculi nono Rectores creati ſunt nonis ſextil. Ciſalpinorum *Martinus de Bernardinis* Venetus, Plebanus S. Pantaleonis, Tranſalpinorum *Fridericus Hraſt* Germanus. Eodem anno magno Gymnaſii Cancellario, & Epiſcopo Patavino Albano Michaelio, qui triennio ante Stephano Carrarienſi ſuffectus fuerat, ſucceſſor datus eſt Petrus Marcellus. Hic quadriennio poſt in utroque Jure probatus eſt, & Doctor declaratus, Promotore Zaccharia Triviſano, urbis Præfecto, qui civem ſuum uxoris nomine ſibi conjunctiſſimum, annuente Collegio, Laurea ornavit: unde ortus illorum error, qui Triviſanum inter Profeſſores retulerunt.

Docuere per hæc tempora in hujus claſſis ſcholis Viri præſtantes non pauci, *Franciſcus Ramponus* Bononienſis, quem alii *de Ramponibus* dicunt, atque inter Doctores ſolemnes numerant; *Benedictus de Barzis* Plumbinas, *Baldi* diſcipulus, qui per omnes fere Italiæ Academias docendo vagatus cum eſſet, anno demum MCCCCVII. ad Patavinam acceſſit; & *Raphael Fulgoſius* vel princeps, vel inter principes ſæculi Juriſconſultos. Hic vero non ſcholæ modo navabat operam, ſed etiam de rebus ad reip. adminiſtrationem perti-

pertinentibus interdum conſulebatur; & multa ſcripſit, quæ referuntur a Pancirolo, & Papadopolo. Ejus collega & antagoniſta fuit *Signorinus de Homodeis* Mediolanenſis, *Signoroli*, qui ſuperiore ſæculo docuit, nepos. Hunc Hiſtorici Mediolanenſes *Signorolum ſecundum* dicunt, & *Bonſignorium*, de quo Argelatus in Bibliotheca Script. Mediol. p. 723. Non eſt omittendus *Andreas Forzadura* Baſſanenſis, qui in veteri Judicum matricula *vir famoſus* dicitur, & *Doctor legum excellentiſſimus*. Atque iſti quidem, paucique præterea minoris famæ Doctores Jus Civile profitebantur. Pontificium tradebant *Nicolaus de Portugruario*, & *Dominicus a Ponte* Venetus, qui anno ſæculi undecimo receptus eſt inter Judices; tum etiam *Thadæus de Vicomercato*, quem alii *Thadæolum* vocant, de quo Argelatus ibid. p. 1671. Fuit enim is quoque Mediolanenſis. Anno MCCCCXIII. quinquagenis merebat: ſed cum collegæ & antagoniſtæ ſuo *Proſdocimo de Comitibus* impar videretur, mandatum civitatis Moderatoribus eſt, ut eum urbanis verbis dimitterent; modo ad locum occupandum reduci poſſet *Petrus de Ancharano*, qui annis ſuperioribus cum Patavii docuiſſet, magnum ſui deſiderium reliquerat. Sed de Profeſſoribus agetur poſtea: nunc Rectores perſequamur.

Dignitas hæc multorum ambitione creſcere cœpit, noviſque in dies additis ornamentis & commodis, quæ fuſe explicantur in libro Statutorum primo, ad quoddam quaſi faſtigium pervenit. Onera quoque ejus honori paria fuere, ut nemo mirari debeat, ſi identidem intermiſſa, denique plane defecit. Anno MCCCCX. Rectores creati ſunt Tranſalpinorum *Petrus Heltpurg* Germanus, Ciſalpinorum *Petrus de Homodeis* Piſaurenſis: quorum primum excepit anno ſequenti *Vipertus Rhenanus*, alterum *Bartholomæus de Torculis* Mantuanus. Conantibus omni ope Vicetinis vetus Gymnaſium reſtituere, quod jamdiu interciderat, ſpes illis omnis decreto Senatus ablata eſt; ne Patavi-

num, quod in dies magis florebat, alicunde ſibi metueret.

MCCCCXII. Confirmato a Ciſalpinis *Bartholomæo de Torculis*, Tranſalpini Prorectore contenti fuere *Antonio Rhodienſi*. Sub iſtorum regimine actum eſt de ſcholis Clodiam transferendis belli cauſſa; cujus rei metu Patavini viribus omnibus contenderunt, nequid hujuſmodi moveretur. Multi proinde, amplum ſibi patriæque rati, operam ſuam ſcholaribus retinendis contulerunt: atque inter hos *Ludovicus de Curtoſiis* Juris Civilis Profeſſor domum etiam comparavit, Collegiumque teſtamento inſtituit ad Juris ſtudioſos, qui pauperes eſſent, Patavium alliciendos, alendoſque: qua de re alibi dixi.

MCCCCXIII. Prorectores fuere *Bernardus Monaſterienſis* Tranſalpinorum, *Coſmas Siculus* Ciſalpinorum. Communem quendam civitatis errorem pro omine litteris fauſto Gymnaſium accepit. Detecta ſunt enim hoc anno oſſa T. Livii, liberti Liviæ quartæ, T. Livii Hiſtorici filiæ: quæ cum crederentur Hiſtorici ipſius oſſa, ſepulcri titulo ad gratiam explicato, cives omnes ingenti perfuſi gaudio honorem ſummum ſervilibus exuviis præbuerunt. Rem totam deſcribunt Xicco Polentonus apud Pignorium de Origine Patavii, & Tomaſinus in T. Livii Vita. Anno autem MCCCCLI. conceſſum eſt brachium liberti hujus Alphonſo Aragoniæ Regi, inæſtimabile munus.

MCCCCXIV. Prorectorem ſuum Ciſalpini confirmarunt, Tranſalpini autem novum elegerunt *Jacobum de Catalaunia*. Quod Gymnaſium a priſtino felicitatis ſtatu defeciſſe videretur, Patavini Oratores a ſummo Civitatis Conſilio Venetias miſſi ejus inſtaurationem a Senatu poſtularunt. Auditi humaniter ſunt; mandatumque civitatis Rectoribus per litteras Ducales menſe februario anni proximi datas, ut cives quatuor eligerent ex ordine primo, qui rei litterariæ curandæ pro ſua diligentia atque amore patriæ animum adjicerent. Quandiu autem illorum opera valuit, *Studii Solicitatores ac Reformatores* dicti ſunt.

MCCCCXV.

MCCCCXV. Idem *Jacobus de Catalaunia* Tranſalpinos rexit, ſed Prorectoris titulo, Ciſalpinorum autem Rector fuit *Jo. Antonius Senenſis*. Anno ſequenti utraque natio Rectore caruit. Ac Tranſalpini quidem Prorectori paruere *Joanni Cicerculo* Canonico Friſingenſi; Ciſalpinis, quod Rector illis Prorectorque deeſſet, præfuit *Nicolaus Contarenus*, qui Collegii Juriſconſultorum Præſes erat.

MCCCCXVII. Utramque nationem gubernavit *Joannes de Montebaroccio*, perrexitque uſque ad poſtremos anni proximi menſes. Jam enim Gymnaſii infrequentia fecerat, quod anno MCCCCLXXIII. lege confirmatum eſt, ut Rector unus utramque gentem, Ciſalpinam, & Tranſalpinam moderaretur. Et ne is quoque deeſſet, Juriſconſultorum Collegium indulſit, ut recte functis munere hoc, Juris Civilis, vel Canonici Laurea gratis concederetur, ſi modo Doctoribus placeret pro tempore deliberantibus: quod ſexennio poſt Senatus decreto ſuo ratum perpetuumque fecit. Ipſos quoque Profeſſores & Scholares novo liberalitatis genere allicere Senatus voluit, condonatis vectigalibus. Ceterum juſſit, ut ſcholarium controverſiæ, quas interdum Epiſcopus, interdum Collegiorum Præſides ex antiqua conſuetudine componebant, in poſterum ad Prætorem deferrentur, eaſque unus diſceptaret.

MCCCCXIX. Rector fuit *Nicolaus Polonus* Archidiaconus, qui ſub anni ſuperioris finem creatus fuerat, tenuitque dignitatem ferme triennium. Anno demum ſequenti Pratenſe Collegium, de quo diximus in Parte I. apertum eſt, titulo foribus inſcripto:

Atria quanta vides ſinuoſos flexa per arcus,
Dedita divinis ſtudiis & Canone ſacro
Magna Comes Pratæ Pileus dedit inclytus Heros,
Cardine Pontificum celſos operatus honores.
Mille quadringentos bis denos auxerat annos
Partus Virgineus, cum mœnia ſtructa quierunt.

Quod ſex ante annos permiſſum a Principe fuerat, quatuor

boni

boni viri ad Gymnaſii inſtaurationem ex Patavina nobilitate electi ſunt: idque in ipſis civitatis Statutis perſcribi placuit, ut quotannis fieret. Eorum opera cum hoc tempore, tum præſertim anno MCCCCXXIX. ſalutaris fuit, quo cum electi fuiſſent Paullus de Leone, Petrus Scrovignus, Obizzo Buzzacarenus, & Petrus Zabarella, damna repararunt, quæ ſcholis omnibus peſtis attulerat.

MCCCCXXII. *Chriſtophorus de Piſauro* Rector creatus eſt, idemque publice docuit extra ordinem diebus feſtis, aſſignato ſtipendio argenteorum XXXIV. quod exemplum ſecuti ſunt poſtea Rectores alii. Itaque cum Rectoris ſtipendium fuiſſet ad hoc tempus argenteorum XVI. in poſterum crevit ad L. Ipſius autem nomen in Profeſſorum albo locum primum occupare cœpit. Litteras Ducales ad civitatis Rectores mitti curavit, quibus vetabatur, ne cui ex Profeſſoribus, niſi vacationum tempore, diſcedendi Patavio veniam concederent, indicta diſcedentibus pœna pro rata dierum, quibus abeſſent.

Poſt *Chriſtophorum de Piſauro* Rectorem invenio anno MCCCCXXV. *Albanum Maurocenum* Venetum, qui triennio poſt Canonicus Patavinus, & Juris Pontificii Profeſſor fuit. Hunc proxime ſecutus eſt *Andreas de Catego* Mantuanus; cui per annos tres, quod peſtis graſſaretur, ſucceſſor nullus datus eſt. Cedente morbo, Rectores creati ſunt anno MCCCCXXIX. *Theodericus Forſt* ex Turingia, proximo autem *Marcus Caravellus* Venetus Archipresbyter Gradenſis. Ipſa quoque Epiſcopalis ſedes cum vacaſſet, ad eam tranſlatus eſt Epiſcopus Caſtellanus *Petrus Donatus*, non Juris modo conſultiſſimus, ut Hiſtorici noſtri referunt, ſed Artium quoque admodum peritus, in quibus anno MCCCCXVIII. XIII. Kal. nov. Archiepiſcopus Cretenſis cum eſſet, probatus eſt, & Laurea ornatus. Hoc anno ſcholæ quædam non ita neceſſariæ ſublatæ ſunt; ſed ſequenti cum Rector creatus eſſet *Galeatius de Monte Olivo* Cyprius, Archidiaconus Nicoſienſis,

ſienſis, reſtituendas Senatus decrevit, allata in ipſo decreto cauſſa, *quoniam propter diminutionem factam anno præterito de ipſis Lecturis, complures ex ſcholaribus receſſerunt.*

MCCCCXXXII. Rectoris munus obivit *Marchio Antonius de Romagnanis* Pedemontanus, quem anno proximo excepit *Joannes Eyrb* Canonicus Eiſtatenſis. Vetuit Senatus, ne Rectores in conficiendo Rotulo tantum auderent, ſibique ſumerent, ut Profeſſores a ſe probatos excluderent; quod aliquando contigerat. Collegium autem Juriſconſultorum decrevit, ut Rector Laureæ nomine, quæ gratis illi conferebatur, chirothecas, & baculum pictum daret, in cujus capite pomum eſſet auratum, Doctoribus ſingulis, ſive adeſſent, ſive abeſſent. Hoc demum anno urbis Rectores juſſi ſunt pecuniam ex ærario præbere, quam Profeſſores penſionis nomine, pro ſua quiſque ſchola, ſolvere ſolebant.

MCCCCXXXIV. *Philippus de Molveno* Tridentinus, Comes Palatinus, Rector creatus. Ex decreto Univerſitatis III. non. aug. Venetias ſe contulit duobus ſcholaribus comitatus ad Rotuli confirmationem petendam: quod exemplum poſtea ſecuti ſunt alii. Ad Gymnaſii frequentiam & celebritatem augendam prohibuit Senatus, nequis Veneti nominis ac ditionis alibi quam Patavii diſciplinas addiſceret, tituloſque Academicos ſumeret. Idem decretum iterum ac ſæpius renovatum eſt hoc ſæculo ipſo, & duobus ſequentibus, ut ſiquis comperiretur in aliis Gymnaſiis Lauream adeptus, non ſolum jure omni & honore apud nos careret, ſed etiam argenteorum quingentorum mulcta puniretur.

MCCCCXXXV. Rector electus eſt *Petrus Chottur* Patavienſis, qui Auſtriæ Duci ab Epiſtolis erat. Annus hic fatalis fuit Marſilio Carrarienſi Franciſci junioris filio, multiſque Patavinis civibus, qui eum, facta conjuratione, acciverant, ut urbe, nihil tale ſuſpicantibus Venetis, ex inopinato potiretur. Turbatis rebus, ſcholares quoque ipſi metu diſperſi ſibi conſuluerunt. Attamen anno ſequenti Rector

crea-

creatus eſt *Franciſcus de Feletinis* Utinenſis; MCCCCXXXVII. *Jacobus Segher* de Bonna; MCCCCXXXVIII. *Laurentius de Calcaneis* Brixianus. Hic vero quod identidem abeſſet, pro Rectore fuit toto ferme anno *Barbonus Maurocenus*, qui in Juriſtarum claſſe non genere ſolum, ſed moribus quoque & prudentia eminebat. Patavinis vetitum hoc anno eſt, ne ullum Univerſitatis officium ſuſciperent.

MCCCCXXXIX. *Matthæus de Corbinellis* Venetus Rector. Eugenius IV. P. M. Patavini Gymnaſii amplificandi ſtudioſus jura ejus omnia honorificentiſſimo diplomate confirmavit, additis titulis, honoribus, indultis, immunitatibus quibuſcunque veteres recenteſque Univerſitates, de litterarum ſtudiis ac religione bene merentes, gauderent. Actum eſt in Civitatis Conſilio de ſcholis ſex Gymnaſio addendis, quas tamen ſoli tenerent Patavini cives. Et nequid hac de cauſſa ex quatuor millium ſumma Gymnaſticis ſtipendiis aſſignata imminueretur, Epiſcopum rogari placuit, ut a Romano Pontifice Sacerdotia libera, quæ vulgo ſimplicia vocantur, impetraret, novis his Profeſſoribus concedenda. Sed inſolita ſtipendii ratio multis difficultatibus impedita rem totam irritam fecit. Interim autem, ut conſuleretur ærario, Paullo de Aretio, qui ſcholam Sexti & Clementinarum tenebat, ex Senatus decreto XIII. Kal. dec. imminuta ſumma eſt ad argenteos C. Sed huic quidem bis auctum, biſque imminutum ſtipendium eſt pro illorum temporum moribus.

Spinellorum Collegium hoc anno inſtitutum eſt. Belfortis enim Spinellus Neapolitanus, Epiſcopus Caſſanenſis, Juvenatii nobili loco natus, filius Nicolai, qui, inclinante ſæculo ſuperiore, in ſcholis Patavinis Juriſprudentiam profeſſus fuerat, hoc anno pridie id. auguſt. teſtamentum fecit. Cum autem Patavii in vico Pontis Curvi ad Puteum Campionis duas haberet domos, ex iis ædificari Collegium juſſit, ſuaque omnia in hunc uſum converti; ut, ſi forte filius aliquis Antonii Galeatii, nepotis ſui ex Luca fratre, adjicere ani-

animum ad litteras vellet, hoc beneficio una cum ſuis tota vita uteretur. *Volo*, inquit, *ex illis domibus ædificari unum Collegium, & dicto Collegio volo applicari omnia mea bona mobilia, ſtabilia, & ſe moventia: & inſtituo dictum Collegium hæredem meum cum iſtis conditionibus & modis, quod ſi eſſet aliquis de filiis Antonii Galeatii Spinelli, filii quondam magnifici viri Lucæ Spinelli fratris mei, qui vellet ſtudere & ſcientiam ſequi, volo quod, vita ſua durante, percipere poſſit emolumenta dicti Collegii, & teneatur ſecum ducere de ſervitoribus ſuis, & vaſſallis, & ſubditis patris ſui, vel de aliis, ut ſibi, & patri placeret, qui ſimul cum eo ſtudere debeant*. Inde hoc ipſum ad filios filiorum propagari in perpetuum voluit, tum ad cognatos, conſanguineos, & affines, hiſque deficientibus, ad clientes & amicos, aliove quovis titulo Spinellorum nomini hærentes, pro arbitrio ſenioris ex agnatis, quem Collegii dominum & patronum conſtituit. Eodem pertinere voluit novem argenteorum millia, nongentos nonaginta novem, quos Venetiis collocaverat apud *Sexterios* (ita vocant ſex civitatis partes) D. Marci, & D. Paulli; ut ex annuo hujus pecuniæ fructu Collegium ſuſtentaretur. Et quia redituum ſumma excedere videbatur, addi placuit presbyteros duos, qui Juri Canonico, & laicos item duos, qui Civili ſtuderent, ab illo ipſo eligendos, ſecumque ducendos, qui ſe ex Spinellorum gente Patavium conferret. His non alimenta, ſed certam pecuniam præberi juſſit. Teſtamentum longiſſimum eſt, in quo oſtendit, nihil ad ſe ex patris bonis perveniſſe, ſed ſua omnia ſuo ſibi acquiſita labore eſſe; nequid forte veteri familiæ jure a nepotibus interciperetur. Biennio poſt idibus ſeptembr. Venetiis mortuus eſt. Sed paucis ante diebus codicillum teſtamento addidit; in quo, argenteis Venetis LX. Marco Catanio clerico legatis, nihil, quod ad Collegium pertineret, immutavit.

Sæculo ſuperiore Collegii ſpecies aliqua adhuc extabat:

alumni autem IV. erant, quibus per quinquennium argentei quini viceni ab Arcario Procuratiæ viritim præbebantur. Dilapſa poſtea Venetorum *Sexteriorum* pecunia, ceteri quoque reditus, quicunque erant, amiſſi ſunt; Collegiumque intabuit.

MCCCCXL. Rectorem creavit Juriſtarum Univerſitas *Henricum Tanhain* Friburgenſem; MCCCCXLI. *Theobaldum de VVoltreſtaim* Brixinenſem, Tridentinæ Eccleſiæ Canonicum; MCCCCXLII. *Thomam Turcum* Veronenſem; MCCCCXLIII. *Ulricum Nuſcopher* Patavienſem, Canonicum Friſingenſem. Vetuit Senatus, ne Profeſſores finibus Patavinis exirent: præterea ne ulli eorum collegæ darentur plures uno. Gymnaſii quoque frequentiæ proſpexit, interdictis novo decreto ſcholis exteris. Sed mali remedium paullatim in perniciem vertit. Exemplum enim ſecuti Principes alii juventutem quiſque ſuam domi retinere conati ſunt. Illud vero maxime ad frequentiam valuit, quod veteres immunitates confirmavit, novaſque adjecit, atque illam in primis ſalutarem, ut libros undique Profeſſores ſcholareſque ſibi curare poſſent, & ſine vectigali in urbem deferre. Cum III. non. Sextil. *Nicolaus de Gurguſtariis* Rhodienſis Juris lauream tituloſque Academicos peteret, ſententiiſque in Collegio variaretur, Epiſcopi gratia & auctoritate probatus eſt. Sed cum poſtea Epiſcopus illud quoque pro veteri arbitrio ſibi ſumpſiſſet, ut Laureæ expenſas augeret, Senatus idibus febr. anni proximi omnia in integrum reſtitui juſſit.

MCCCCXLIV. *Antonius de Pellegrinis* Veronenſis Rector. Annus hic *Licentiatis*, & *Baccalariis* creandis finem impoſuit, juſſitque Senatus, Gradus ſcholaſticos omnes, titulos, & Lauream *conventu uno* petentibus conferri. Decretum tamen hoc Juris ſtudioſos dumtaxat complexum videtur. Nam reliquæ ſcholæ veterem morem tranſtulere uſque in ſæculum proximum.

MCCCCXLV. *Georgius Ebinger* Ulmenſis Rector. Venetias

netias vocatus eſt una cum ſuis Conſiliariis ad eligendos coram magiſtratu Profeſſores illos, qui Univerſitatis arbitrio relicti erant. Cum redjiſſet, Univerſitatis Conſtitutiones emendavit, auxit, ſuiſque temporibus accommodavit.

MCCCCXLVI. *Paullus Acinger* Vindobonenſis, cum eſſet Artium Doctor, Juriſtarum Rector electus eſt. Hunc excepit anno MCCCCXLVII. *Georgius VVerdenow* Auguſtanæ & Conſtantienſis Eccleſiæ Canonicus. Apud Monteroſſum de Prætoribus Patavinis, & alios dicitur *Georgius Bernardus*. Credibile eſt, nominis aſperitatem levi mutatione molliri voluiſſe. Vetuit Senatus, ne bacchanaliorum vacationes ultra dies denos producerentur, neve Profeſſores ad ludos celebrandos plus conferrent argenteis vicenis.

MCCCCXLVIII. *Jo. Paullus de Bernabucciis* Faventinus Rector. *Fantinus Dandulus*, qui, ſæculo ineunte, ſub Carrarienſibus in Gymnaſio docuerat, hoc anno Patavinæ Eccleſiæ Epiſcopus datus eſt, cum jam Cretenſis Archiepiſcopus eſſet. Rectores ſubinde creati ſunt anno MCCCCXLIX. *Emmanuel* Epiſcopus Ciſamenſis; anno MCCCCL. *Geminianus* Brixianus; anno MCCCCLI. *Antonius de Silvanis* Aprutinus. Sub anni ſequentis initium cum Fridericus III. Imperator Patavio tranſiret, Jordanus Urſinus ex ſcholarium ordine eum oratione excepit Univerſitatis nomine.

MCCCCLII. *Hieronymus de Madiis* Veronenſis Rector; MCCCCLIII. *Joannes Jobel de Lintz* Colonienſis; MCCCCLIV. *Antonius Zucco* de Cucanea; MCCCCLV. *Joannes Eſtinger*; MCCCCLVI. *Petrus Marinus de Betheis* Æmonienſis, qui paucis diebus locum retinuit, ſuffecto Prorectore *Balthaſſare Turrino* cum facultate Juris Canonici publice tradendi.

MCCCCLVII. *Bertoldus Hendl de Branronkg* Germanus Rector. Senatus juſſit, de eligendis Profeſſoribus agi, Rotulumque condi menſe majo, quod menſe hoc frequentiſſimum Gymnaſium eſſet; ſed paucis poſt annis negotium tra-

ductum eſt ad Chriſti Domini Aſcenſionem. Hoc anno Joannes de Rubeis Patavinus teſtamento poſtridie id. novembr. condito, bonorum ſuorum heredes reliquit nepotes ex filia Lælium, & Euſebium Vergelenſes, liberoſque eorum, mareſque omnes in perpetuum ex iis per legitimas nuptias naſcituros. His autem deficientibus, prædia omnia ſua tum urbana, tum ruſtica, quæ in teſtamenti tabulis recenſentur, ad Univerſitatis Patavinæ Rectores tranſire juſſit, primum quidem ut haberent ipſi ubi habitarent; deinde ut ſcholares duos, uterque ſuum, alerent; eoſque abſoluto ſtudiorum curſu, ad honores Academicos Laureamque producerent *gratis & amore Dei*. Scholares porro eſſe voluit Patavinos, vel Ferrarienſes, a Rectoribus ipſis pro arbitrio eligendos.

MCCCCLVIII. *Bonifacius Bonfilius* Bononienſis Rector. Vetuit Senatus x. Kal. oct. ne quis ex noſtris, qui in alienis Gymnaſiis probatus eſſet, tituliſque careret Patavinis, in Judicum ordinem reciperetur, poteſtatemque hanc in Venetæ ditionis oppidis exerceret, ſive nomine ſuo, ſive alieno. Decretum hoc cum ſæpe alias poſtea, tum præſertim anno MDCLXV. verbis graviſſimis renovatum eſt, XVirum quoque accedente ſanctione.

MCCCCLIX. *Joannes Rot* Rector. Ejus gratia Senatus mandavit pridie Kal. jul. ut Rectoris ſtipendium, quod ad argenteos XX. belli cauſſa imminutum fuerat, rurſus augeretur ad quinquagenos. *Petrus Cardinalis Barbus*, Epiſcopus Vicetinus, qui poſtea Pontifex maximus fuit, Patavinam Eccleſiam hoc anno adminiſtravit a Pio II. ipſi commendatam, idemque Magni Cancellarii locum in Gymnaſio tenuit. Id vero maxime ad hujus anni felicitatem pertinuit, quod ars typographica, unde litteræ litteratique omnes mirifice profecere, ex Tranſalpinis regionibus Venetias translata eſt. Primus liber typis deſcriptus Nicolai Jenſonis *Decor Puellarum* fuit, prodjitque biennio poſt. Hoc ipſo anno prodierat Moguntiæ *Codex Rationalis Divinorum Officiorum Gulielmi Durandi*.

MCCCCLX.

MCCCCLX. *Franciſcus Scledus* Vicetinus Rector. Mota quædam ſunt de Profeſſorum ſtipendiis, quæ ſupra ærarii vires creviſſe videbantur; decretumque, ne in poſterum augerentur niſi auctoritate Senatus, cum antea beneficium hoc a Rectoribus urbis, & Collegii judicio penderet. *Jacobus Zenus*, Juris utriuſque peritia, & antiquitatis ſtudio celeberrimus, ex Bellunenſi Epiſcopatu ad Patavinum migravit, cum *Barbus* ſponte abdicaſſet.

MCCCCLXI. *Petrus de Cortenoi* Muglenſis, Eccleſiæ Exonienſis Archidiaconus, Rector. Cum ærarium Gymnaſticum expenſis non ſufficeret, civitates aliæ Bergomum, Verona, & Tarviſium ſymbolam conferre juſſæ ſunt. Expendebantur autem per id tempus annua fere libellarum quinquagena millia.

MCCCCLXII. *Henricus Murmeſtber* Hamburgenſis Rector, qui poſtea in annum alterum litteris Ducalibus confirmatus eſt. Suæ Univerſitatis Statuta diſtributius ordinata edidit, & a Civitatis Decurionibus obtinuit, ut tribunal ſibi pluteuſque in baſilica Prætoria adſignaretur ad jus dicendum inter ſcholares.

MCCCCLXIV. *Georgius Martinengus* Brixianus Rector. Cum diu ægrotaſſet, ejus locum tenuit *Joannes de Portinariis* Placentinus Prorector. *Martinengo* ſucceſſor datus eſt anno ſequenti *Petrus de Albertis* ex Majorica: anno MCCCCLXVI. *Jacobus Rocca* Tranenſis: anno MCCCCLXVII. *Joannes Chelworth* Anglus, Archidiaconus Lincolnienſis. Hujus Rectoris auſpiciis v. Kal. febr. anni ſequentis inſtitutæ ſunt ſcholæ tertiæ, Patavinorum gratia, Juris Canonici duæ, totidemque Juris Civilis, itemque Artium, ac Medicinæ, aſſignato ſingulis ſtipendio argenteorum XX. quod nunquam augeretur. Attamen anno MDCLV. VI. id. decembr. Senatus facultatem Triumviris conceſſit, ut pro ſua ſapientia & temporum conditione ſtipendium ſcholis tertiis augere poſſent uſque ad argenteos quinquagenos. Profeſſores iſti Tertiani ab utroque urbis Præſide eligendi ſunt, a duobus Quæſtori-

ſtoribus, ab Univerſitatis Rectore, & a ſeniore ex Decurionibus Patavinis. Oportet autem, ut eſt in decreto IV. non. maj. MDCLXXXVIII. ut ex tribus ſuffragatoribus duos quoſque propitios habeant. Via hac aperta Patavinis ingeniis ad vires experiendas, multi qui patrocinio deſtituti perpetuo latuiſſent, famam ſibi compararunt, & principes Univerſitatis ſcholas tenuerunt.

MCCCCLXVIII. Rector factus eſt *Sebaſtianus Ragona* Vicetinus: MCCCCLXIX. *Odoricus Pawgartner* Nurembergenſis: MCCCCLXX. *Tanus de Altano* ex S. Vito: MCCCCLXXI. *Georgius Hohenfelder*, al. *Hehenolder*, Auſtriacus: MCCCCLXXII. *Antonius de Zarottis* Juſtinopolitanus: MCCCCLXXIII. *Antonius Pawgartner* Nurembergenſis. Tandem decrevit Univerſitas, quod jam uſuvenerat candidatorum inopia, ut unus eſſet Juriſtarum Rector, qui alternis ſumeretur, modo ex Ciſalpinis, modo ex Tranſalpinis, ſiquidem eſſet ex utraque natione qui peteret.

MCCCCLXXIV. *Joannes a Scroffa* Vicetinus Rector. Eo agente, farinæ ac lignorum immunitas Magiſtris & Scholaribus a Principe conceſſa eſt. Civitatis Decuriones cum animadvertiſſent, quoſdam ad docendum per ambitionem obrepere, decerni curarunt, ne quis in poſterum admitteretur, qui in Univerſitate aliqua probatus non eſſet, & Doctor rite declaratus. Addita decreto conditio eſt, ut ſiquis in poſterum eligeretur, qui Doctoris titulo careret, intra menſem ſumeret; ni poſſet, temporis veniam ab Univerſitate peteret. Oborta autem dubitatione anno MCCCCLXXXI. de Morali Philoſophia, quod diſputationibus minus obnoxia videretur, & fere cum Grammaticæ ſchola conjungi ſoleret, Senatus v. Kal. april. huic quoque decreto ſuo cavit; juſſitque, qui eam profiteretur, eſſe Doctorem. Porro cum ſæculi ſequentis anno quinquageſimo ſecundo *Adrianus Emenius* Belga, electus ad ſcholam Textus & Bartholi, Triumvirales Litteras obtinuiſſet VII. Kal. octobr. datas, ut, quamvis

Doctor

Doctor non eſſet, docere publice poſſet, duo Conſiliarii Venetias miſſi ſunt, qui jura Univerſitatis aſſererent.

MCCCCLXXV. *Joannes Pranſperger* Germanus Rector, quem proxime ſecutus eſt *Lanellus de Lanio* anno MCCCCLXXVI. Hoc poſtulante, Feudorum ſchola inſtituta eſt, eamque aperuit Kalendis decembr. *Angelus Buzzacarenus*, cui anno ſequenti collega datus eſt *Alphonſus de Regno*.

MCCCCLXXVII. *Bernardinus de Pola* Rector. Decrevit Senatus VII. Kal. jul. nequis Patavinus, aut Venetus in deliberationibus Univerſitatis, quæcunque tandem eſſent, ſuffragium ferret. Præterea vetuit, nequis Venetus ex ordine Patriciorum in Patavino Gymnaſio publice doceret, ſive Ordinarii titulo, ſive Subſtituti, ſive cum ſalario, ſive abſque ſalario. Denique juſſit, ne Profeſſores Ordinarii ſcholarium ſuffragiis in poſterum obnoxii eſſent. Anno autem ſequenti XVII. Kal. febr. eodem *Bernardino* Rectore, vetus decretum de Rotuli condendi tempore Senatus renovavit, juſſitque fieri menſe majo, quo menſe pleniſſimum eſſe Gymnaſium per ea tempora videbatur.

MCCCCLXXVIII. *Sylveſter Rambaldus* Veronenſis Rector. Magnis contentionibus egit, rurſuſque obtinuit, ut de Profeſſore quolibet etiam Ducalibus Litteris munito Univerſitas per ſuffragia in Rotulo condendo deliberaret. Senatuſconſultum de re hac Kalendis februariis perſcriptum eſt.

MCCCCLXXIX. *Vincentius Schrench* Monacenſis Rector. Sub anni finem vetuit Senatus, ne Patavini duo ſcholam eandem ex Ordinariis tenerent, & collegæ eſſent, quos Concurrentes vocant. Decretum hoc tempore cum obſolevisſet, anno MDLXXXVIII. renovatum eſt; & ad ſcholas extraordinarias quoque, ſi quando geminos Profeſſores haberent, propagatum.

MCCCCLXXX. *Pileus Vonicus* Tarviſianus Rector. MCCCCLXXXI. *Thomas de Anglia* Rector. Quod antea

tea Senatus decreverat, ut argentei quinquageni Rectori ex ærario ſolverentur, idibus april. rurſus confirmavit, modo tamen idem ſimul doceret. Mortuo *Zeno* de Patavina Eccleſia litteriſque optime merito, *Petrus Foſcarenus* Epiſcopus creatus eſt, idemque paullo poſt Cardinalis. Sed vix quadriennio locum tenuit.

MCCCCLXXXII. *Simon de Fedricis* Tridentinus Rector. MCCCCLXXXIII. *Joannes Greudener de Slerot* Germanus Rector. MCCCCLXXXIV. *Valerius Spigarolus a Sablono* Colonienſis Rector. Edixit ex Triumvirum litteris, ut Juris Profeſſores primo & altero anni litterarii curriculo inter ſe diſputarent, quemadmodum Philoſophi, & Medici facere ſolebant.

MCCCCLXXXV. *Andreas Plancbner* de *Kunſperch* Rector. Eccleſiæ Patavinæ Epiſcopus datus eſt *Joannes Card. Michaelius* Pauli II. ex ſorore nepos, quam abſens adminiſtravit per annos tres, cum Veronenſem quoque eodem tempore gubernaret. Ejus Vicarius pro Cancellario in rebus ad Gymnaſium pertinentibus egit.

MCCCCLXXXVI. *Franciſcus Traverſus* Rector. Eo curante, Senatus decrevit VIII. Kal. decembr. ut Gymnaſii Rectores in quolibet conventu urbanis magiſtratibus præirent. Anno autem ſequenti per litteras Ducales IV. non. maj. quæſtoribus quoque prælati ſunt.

MCCCCLXXXVII. *Jacobus Giroldus* Stirienſis Rector conſtitui curavit, ne quis ad publice docendum admitteretur, niſi rite probatus, & Academicis titulis ornatus eſſet, excluſis Doctoribus, quos Comites Palatini creabant. Ejus precibus auctum eſt Rectoris ſtipendium ſcholæ nomine ad argenteos centenos. Cum Bertucius Lambertus Canonicus Concordienſis in Artium Collegio gradus Academicos Laureamque peteret, conceſſum eſt Caſſandræ Fideli Venetæ ejus conſanguineæ, quæ litterarum ſtudiis Patavii operam dabat, ut de ejus laudibus orationem haberet, pro illorum temporum more.

MCCCCLXXXVIII.

MCCCCLXXXVIII. *Leonardus de Craſſis* Rector, cujus vices toto fere anno obivit *Jacobus Bragadenus* Venetus, Artium Doctor. *Petrus Barocius* Epiſcopus Patavinus recens electus, vir politioribus litteris doctrinaque excultus, in ædibus ſuis aulam conſtruxit, in quam Collegiorum Doctores convenirent ad eos examinandos, qui probari vellent, tituloſque Academicos peterent.

MCCCCLXXXIX. *Emmanuel Cyprius* Rector, quem proximo anno ſecutus eſt *Benedictus de Monte* Veronenſis. Scholas duas ſupra viginti uno tempore ſublatas fuiſſe, refert Monteroſſus in Diario de Prætoribus Patavinis. Sed credibile eſt, eas quoque bonum tabellionem comprehendiſſe, quæ clauſæ ſunt anno ſequenti. Illud vero graviſſimum Profeſſoribus viſum eſt, quod Rector ex litteris Ducalibus edixit, ut quoties aliquis eorum auditoribus careret, vel pauciores haberet, quam ſex, libellis Venetis denis mulctaretur.

MCCCCXCI. *Albertus Bavarus* Rector. Sub ejus regimine Artis Notariæ ſchola ſublata eſt, itemque ea, quæ Lectura Univerſitatis dicebatur, Inſtitutionum duæ, Decretorum tres, Feudorum duæ. Sed quædam ex his non multo poſt reſtitutæ ſunt.

MCCCCXCII. *Simeon Roſa* Dalmata Rector factus eſt; anno autem proximo *Bernardus Gil* Valentinus, qui poſtea Monachus Caſſinenſis fuit. Hic domum conduxit e regione S. Martini, quod *Bovis hoſpitium* dicebatur, ad ſuarum ſcholarum uſum, quæ antea ad S. Blaſii fuerant, ubi nunc Moniales habitant. Conductionis modum, & conditiones habes in veteri Statutorum Codice p. 177. tum etiam apud Riccobonum, & Tomaſinum, qui rem totam enucleat. Illud addo, hoſpitium hoc totius Italiæ, ut ſcribit Savonarola, magnificentiſſimum, Principum Carrarienſium ædibus fuiſſe conjunctum; & quia earum parietibus ædium bos aureus appictus erat, hinc hoſpitium ipſum per occaſionem nomen ſumpſiſſe. Adhuc taberna unguentaria ad meridiem

ex antiqua parietis pictura bovis aurei inſigne nomenque retinet. Stemmate hoc uſque adeo Franciſcus junior, poſtremus civitatis Dominus, delectabatur, ut abollam quoque purpuream aureis bobus intextam & ornatam ferret. Sive autem rei cauſſa fuerit, quam affert Bonifacius in libro hiſtoriæ Tarviſianæ primo, ſive alia gravior & vetuſtior a gentis inſignibus petita, ad rei fidem, qua de agimus, parum intereſt. Statim ſcholæ parari cœperunt: ſed cum forma ædium tota ad commodum ac dignitatem mutanda eſſet, accitis eodem etiam Artiſtis, anno duntaxat ſæculi ſequentis primo Gymnaſium transferri in novas ſedes potuit: quo anno rei auſpicium præbuit Ducis Venetiarum creatio Leonardi Lauretani, qui ſtudiorum ſuorum rudimenta in Patavina Univerſitate poſuerat. Itaque cuſum illi numiſma eſt, appoſita ædificii ichnographia, additoque titulo: *Patavinum Bonarum Artium Hoſpitium*.

MCCCCXCIV. *Nicolaus de Marcheſiis* Bergomas Rector, quem excepit anno ſequenti *Antonius Suevus*. Eo ſupplicante una cum alterius claſſis Rectore, Princeps ex ſuo vectigalium ærario pecuniam præberi juſſit ad Gymnaſii onera ſuſtinenda, quibus hoc tempore vix ſeptuagena libellarum millia ſufficiebant.

Rectores facti anno MCCCCXCVI. *Jo. Antonius Brancus de Luſchis* Vicetinus, MCCCCXCVII. *Nicolaus Jonſon* Cretenſis, MCCCCXCVIII. *Joannes Caſſius* ex Pharia inſula. Actum eſt in Juriſconſultorum Collegio de iis, qui more nobilium, ſine argumentorum experimento, ad Lauream juſque Doctoris admittuntur. Res minime nova, ſed quæ ad id temporis ſola conſuetudine ſteterat, in Actis perſcripta eſt, certiſque legibus definita.

MCCCCXCIX. *Stephanus Abrahamus* Pannonus de Naghluſze, Canonicus Javarinenſis, Rector. Anno ſequenti obtinuit Juris Canonici Lauream ſine expenſis, ex peculiari ſacri Collegii gratia; quamvis propter infortunia quædam

præſta-

præſtare omnia non potuiſſet, quæ a Gymnaſii Rectore, pro illorum temporum moribus, & Collegii ipſius conſtitutione, requirebantur.

MD. Pro Rectore fuit *Gofredus Provincialis* uſque ad ſeptembrem, quo menſe creatus eſt Rector *Jo. Baptiſta de Fenarolis* Brixianus, perrexitque uſque ad ſextilem anni ſequentis. Tum vero ſucceſſit *Joannes Theobaldus de Perona* Burgundus. Vix magiſtratum inierat, cum Collegium decrevit, ne Rectori utriuſque gradus Laurea ſine expenſis concederetur, niſi toto anno adverſus illos, qui in Collegio ipſo examinantur, diſputaſſet; ad hoc armorum ludos civitati præbuiſſet, propoſito præmio argenteorum quadraginta.

MDII. *Thomas de Brandis* Forojulienſis ex civitate Auſtriæ Rector. Triennio ante commiſſa illi fuerat per Univerſitatem ſchola Feudorum ſecundaria. De nimio vacandi ſtudio queſtus eſt, quod gliſcere in ſcholas cœperat; eoque ſuadente, decrevit Senatus anno ſequenti x. Kal. ſextil. ut vacationes Natalis Domini coercerentur ad dies decem, Bacchanaliorum ad dies quindecim, Paſchatis ad dies decem, Aſcenſionis ad dies octo: quod reliquum eſt anni, a feſto S. Lucæ uſque ad B. Mariæ Virginis Aſſumptionem ſcholis daretur.

MDIII. *Nicolaus Trautmanſtorf* Germanus Rector. Cum diu abſuiſſet, primum quidem ejus vices egit *Gabriel de Pellegrinis* Veronenſis uſque ad decembrem, deinde *Balthaſſar de Cordes* Burgundus, Archidiaconus Cameracenſis. Tertia Decreti ſchola ex Senatuſconſulto IV. non. jul. ſublata eſt; ſecundæ autem conſtituti floreni ſunt ſtipendii nomine quinquageni, primæ centeni. Civilium quoque Inſtitutionum certa eſſe ſtipendia Senatus voluit, aſſignatis ſcholæ primæ florenis quinquagenis, ſecundæ tricenis.

MDIV. *Julius Luzago* Brixianus Rector. Pro magna quæ tum vigebat æmulatione, atque arguendi ſtudio, decrevit Univerſitas, ut in publicis diſputationibus primi omnium Con-

ſiliarii interrogarent, ſinguli pro natione quavis; tum ſcholares reliqui, ſervato nationis & matriculæ ordine. Vetuit Senatus idibus octobr. ne Profeſſores, qui per quinquennium docuiſſent, & ſtipendium obtinuiſſent florenorum ſaltem LX. Univerſitatis judicio & ſuffragiis ſubjicerentur.

MDV. *Antonius Rali* Cyprius Rector. Senatus veterem conſuetudinem decreto firmavit, ne civis ſtipendium Patavini, qui in Gymnaſio doceret, ultra florenos CCC. augeretur. Fines hos cum prægreſſus fuiſſet Theoricæ Medicinæ Profeſſor Ludovicus Carenſius anno MDXXVI. Medicorum illi Collegium communi nomine gratulatus eſt; reique memoriam per familiæ inſignia ad poſteros propagari voluit. Anno ſequenti III. Kal. jul. novem Gymnaſii ſcholæ uno Senatusconſulto clauſæ ſunt. Jam enim nimis magnus Profeſſorum numerus magno libro ſimilis videbatur, de quo Græcum adagium eſt, *μέγα βιβλίον, μέγα κακόν*.

MDVI. *Caſpar de Cultrariis* Siculus Rector. Ex Univerſitatis decreto, & Præſidum Urbanorum mandato VIII. Kal. novembr. præſcripſit utriuſque claſſis Profeſſoribus tum ordinariis, tum extraordinariis, ut poſt ſuam quiſque acroaſim cum Collega diſputaret, matutini quidem in ſchola magna, veſpertini vel in ſchola quiſque ſua, vel in aula Curiæ Prætoriæ. Quo quis die non diſputaret, ejus diei ſalario mulctaretur. Quædam etiam Bidellis edixit, ut primi omnium in Gymnaſium convenirent, & ante januam ſcholæ quiſque ſuæ aſſidue ſtarent; ut omnibus Doctorum, & ſtudentium diſputationibus, ubicunque, & quandocunque haberentur, intereſſent; ut Rectori jus dicenti, & Vicario ejus omnes una cum Tabellione in foro adeſſent; ut ſcholæ quiſque ſuæ neceſſaria omnia curaret, purgatis quotidie ſordibus, paleiſque ſub hiemem importatis; ut ſedilia ſcholæ prima Præſulibus, ac Principibus viris prompte aſſignarent, ſecunda Conſiliariis, cetera libera occupantibus relinquerent. Hinc ſatis apparet, quanta & frequentia & æmulatione Gymnaſii ſcholæ ferverent.

MDVII.

MDVII. *Michael Gualteretus* Burgundio Rector, ineunte januario, abdicare ſe magiſtratu juſſus eſt gravi de cauſſa jubentibus nota. Univerſitati poſtea præfuit Prorector *Imbertus de Sanaxa* Gallus, & a Senatu obtinuit, ne Profeſſores in poſterum litium patrocinia ſuſciperent, acturi in foro Veneto. Defuncto IV. id. jan. *Petro Barocio* civitatis Epiſcopo, & Gymnaſii Archicancellario, de re tota litteraria & Eccleſiaſtica diſciplina egregie merito, Patavinis ſacris præfectus eſt *Petrus Dandulus*.

MDVIII. *Marinus de Hungaris* Dalmata, Nicolai Vayvodæ Drivaſti filius, Rector, cui primum poſt conditam Univerſitatem uxoris habendæ facultas conceſſa eſt. Anno ſequenti confirmatus eſt. Sed cum bellum ingruiſſet ex fœdere Cameracenſi ortum, clauſis ſcholis, ſuſpenſa Rectori & Profeſſoribus ſtipendia ſunt uſque ad annum ſæculi XVII. Idem toto hoc belli tempore vel Rector fuit, vel pro Rectore egit, quoties aliquis gradus Academicos nomenque Doctoris peteret. Ipſe quoque anno MDXII. Doctor creatus eſt, & Laurea ornatus, cum triennio ante examinatus fuiſſet.

Primo belli anno cum *Petrus Dandulus* civitatis Epiſcopus, & Gymnaſii Archicancellarius objiſſet, a Vicetina Eccleſia ad Patavinam translatus eſt *Sixtus Gara de Robore* ab avunculo Julio II. P. M. & ab eodem poſtea Cardinalis creatus. Sed Eccleſiam hanc toto belli tempore abſens adminiſtravit uſque ad annum MDXVII. quo ille mortuus eſt, & Patavinum Gymnaſium reſtitutum.

PRO-

PROFESSORES JURISPRUDENTIÆ AB ANNO VENETÆ DOMINATIONIS PRIMO USQUE AD JUSTITIUM ANNI MDIX.

QUi temporibus Gymnaſii primis, cum libera civitas, vel in fide Carrarienſium eſſet, Juriſprudentiam publice traderent, confuſe permixteque diximus; quod non eſſet operæ pretium prima illa magni operis rudimenta nimis enucleare, nec præſidia ad enucleandum neceſſaria in promptu eſſent. Nunc tandem ad ſæculum Venetum cum venerimus, paullo magis, ubi fieri poteſt, explicanda res eſt, & in nominibus ſingulis diligentius verſandum, donec ad ea tempora deveniamus, quibus in ſuas claſſes partiri ſcholas liceat, Profeſſorumque munia diſcrete atque electe cognoſcere volentibus deſcribere.

MCCCCVI.

AUſpicari juvat ab *Henrico de Alano* Juriſperito minime obſcuro, qui docere cum cœpiſſet ſub ſæculi ſuperioris finem, anno MCCCCV. Dictator populi Patavini creatus eſt ad urbem Venetis dedendam. Biennio poſt rurſus in Gymnaſium accitus eſt, attributis argenteis in annum centenis. In ejus ætatis monumentis interdum dicitur *Aldricus de Solito*: unde colligitur familiæ cognomen. *Alanum* enim patria fuit. Ab illo ſeparari non debet *Franciſcus Zabarella* Patavinus, Juris Canonici Profeſſor, qui in eadem urbis deditione orationem habuit. Hic vero, de quo dixi in

Parte

Parte I. plurima etiam ſcripſit, quæ refert Tomaſinus in Tomo Elogiorum I. p. 9. Adde illis commentariolum de Arte Metrica, quod inter codices MSS. Dominicanæ bibliothecæ adhuc extat.

Julianus Cæſarinus primo ætatis flore Patavii docuiſſe fertur abſque ſtipendio, quod multi viri nobiles extra ordinem, venia a Rectore petita, facere ſolebant. Humani divinique juris peritiſſimus cum eſſet, idemque Theologus, ad ſummam ſacri Romani Collegii dignitatem evectus eſt, multaque pro Eccleſia Catholica egit, & ſcripſit, quæ tamen ad biographos potius, quam ad nos pertinent. *Thomas* quoque *Genarius* verſatus per ea tempora in legibus interpretandis dicitur a Scardeonio; ſed in veteri Collegii matricula caret Profeſſoris titulo. Extra controverſiam *Joannes de Ubaldinis* Abbas S. Mariæ de Pratalea Jus Canonicum principio ſæculi publice expoſuit, & ab anno primo uſque ad quartum invenitur inter Promotores, quamvis a Pancirolo rejiciatur in annum MCCCCLXXX. Sed cum anno illo Decreti interpres eſſet *Joannes S. Danielis Abbas*, Pancirolus alterum pro altero ſumpſit.

Nec defuere majora nomina. *Joannes* enim *de Imola*, qui a noſtra ad Ferrarienſem Academiam anno MCCCCII. tranſierat, revocatus eſt ad ſcholam Decretalium Ordinariam argenteis octingenis, & jure Collegii donatus. Anno MCCCCXXII. Bononiam migravit ad ejus civitatis Gymnaſium inſtaurandum; ibique quadriennio poſt mortuus eſt, cum Jus utrumque commentariis illuſtraſſet, unde multi profecerunt.

Joannes quoque *Franciſcus Capiliſtius*, ineunte ſæculo, docebat, ut colligitur ex veteri codice apud heredes; paullo autem poſt inter Judices relatus eſt. Anno MCCCCXXII. cum veſpertinam Decretalium ſcholam teneret ſtipendio argenteorum CC. menſe aprili Romam ſe contulit ad negotia procuranda Abbatis S. Nicolai de Litore; ſuffecitque Doctorem

rem alium, quamdiu abeſſet, Subſtituti nomine. Anno MCCCCXXVIII. idib. april. Ferrariam publicis expenſis miſſus eſt, & poſt menſes duos Bononiam, ut Venetis Legatis conſilio adeſſet: ſubinde vero etiam Mediolanum ad componendas finium controverſias cum Philippo Maria Duce. Anno poſt III. non. jun. auctum eſt ſtipendium ejus ad florenos CCC. cum jam biennio ante tranſiſſet ad Jus Civile, ut loco doceret *Raphaelis Fulgoſii*. Venetias quoque non ſemel vocatus eſt, ut de rep. conſuleretur. Miſſus eſt etiam ad Concilium Conſtantienſe Andreæ Donati comes, ſervato illi ſtipendio, ſuffectoque Profeſſore alio, qui Subſtitutus diceretur; eaque occaſione Sigiſmundi Imperatoris diplomate Comes Palatinus, Eques, & Familiaris ejus declaratus eſt. Poſtea Eugenii IV. nomine ibidem legationem obivit, cujus legationis gratia cum abeſſet anno MCCCCXL. non permiſit Senatus, ut ſtipendium ejus minueretur; quin auctum eſt triennio poſt VII. id. oct. ad florenos CCCC. Cum rediiſſet, docendi munus animoſe reſumpſit, atque in illo extinctus eſt.

Nicolaus Contarenus Venetus Lucæ filius, cum admodum juvenis Juris civilis Profeſſor Patavii eſſet, Conſilia ſcripſit, & Commentarium de verborum ſignificatione. Poſtea Senator in patria creatus, & quidem in ipſo ætatis flore, varias legationes obivit. Poſtrema autem illum patriæ abſtulit in ipſo itinere morbo oppreſſum.

Petrus Maurocenus, antequam purpura ornaretur, ſub ipſum ſæculi initium docuit in Gymnaſio, & luculenter ſcripſit. Anno autem ſæculi XXIV. quo floruiſſe in ſcholis dicitur a Riccobono, & Porcellino, vivere deſiit. Memoratur cum laude in Hiſtoria Interpretum & Gloſſatorum Juris apud Jo. Baptiſtam de Gazalupis p. 508. & in Recenſione Interpretum Juris, apud Catellianum Cottam p. 527.

Fantinus Dandulus Venetus cum anno ſæculi primo Juris Civilis Lauream obtinuiſſet, anno ſequenti profiteri publice

Patavii cœpit. Sed patria revocatum ad majora deſignavit, magnaque cum utilitate adhibuit. Sub Eugenio IV. cum Eccleſiæ nomen dediſſet, Cretæ Archiepiſcopus eſt declaratus, & Bononienſem legationem obivit. Anno MCCCCXLVIII. Nicolao V. Pontifice Patavinum Epiſcopatum regendum accepit, tenuitque uſque ad februarium anni MCCCCLIX. quo deceſſit e vita. De illo, & Operibus ab eo ſcriptis Fr. Joannes de Auguſtinis in Tomo I. Script. Venet.

Proſdocimus de Comitibus Patavinus anno ſæculi tertio inter Juris Canonici Profeſſores invenitur, cum jam quinquennio ante in Judicum Collegium receptus fuiſſet. Rudimenta prima Patavii poſuit; ſed poſtea Senis docuit. Inde ad nos rediit, & Jus Civile profeſſus eſt, donec anno ſæculi undecimo rurſus demigravit ad Canonicum, quæ in Senatus decreto dicitur *principalis Studii facultas*. Conſtitutum illi ſtipendium eſt argenteorum CXX. qui poſtea crevere ad trecenos. Anno MCCCCXII. Petrus Marcellus Epiſcopus Vicariam illi juriſdictionem conceſſit in cauſſis omnibus, quæ ad ſe pertinerent, & ad laicum hominem transferri poſſent. Poteſtatem quoque *Proſdocimo* dedit examinandi, probandi, reprobandi, uno verbo cuncta faciendi, quæ Epiſcopus tamquam Gymnaſii Cancellarius facere poſſet. Anno MCCCCXXVI. Venetias ſe contulit una cum *Raphaele Cumano*, & *Fulgoſio*, ut de pacis legibus conſulerentur, quæ cum Mediolanenſi Duce compoſita eſt. Triennio poſt Ferrariam miſſus eſt *Capiliſtii* ſocius apud Venetos Legatos. Obiit poſt annos decem eodem ſtipendio, quod bis auctum verbo eſt, non tamen re propter conditiones quaſdam decreto appoſitas. Dictus eſt Juris Canonici *Monarcha*, *Doctor ſolemnis*, *Doctor famoſiſſimus*, & quædam etiam ſcripſit, quæ habes apud Papadopolum T. I. p. 216.

Franciſcus Ramponus Juris Civilis Profeſſor, in Bononienſi Bibliotheca memoratur ad annum MCCCL. qui fortaſſe annus natalis eſt: ſiquidem anno MCCCCIV. floruiſſe Patavii conſtat ex Actis Collegii, cum jam Piſis, & in patria docuiſſet.

MCCCCVII.

MCCCCVII.

Benedictus de Barzis Henrici filius, communi ſama & ſermone Juriſconſultiſſimus, *legumque Monarcha*, ut tum loquebantur, accitus hoc anno eſt argenteis DC. ſcholamque tenuit uſque ad annum ſæculi hujus decimum, quo mortuus eſt. Non temere quidam putant, etiam ſæculo ſuperiore *Benedictum* Patavii docuiſſe. Poſt Pancirolum, & Hiſtoricos noſtros, de illo ſcripſit clarus vir Stephanus Fabruccius in Tom. XXV. & XXIX. Opuſculor. Venet. itemque Borſettus in Hiſt. Gymn. Ferrar. P. II. p. 7.

Eodem fere tempore conductus eſt *Raphael Fulgoſius* Placentinus argenteis quingenis, Juriſconſultus acuto ingenio & acerrimo judicio præditus, qui jam Ticini, & in patria magna nominis fama docuerat. Illum ſexennio poſt Parmenſes abducere tentarunt, oblatis millenis; ſed maluit Patavii manere, aucto ſtipendio ad argenteos DCCCL. Venetias vocari conſuevit, ut de rep. conſuleretur; quod præſertim factum eſt anno ſæculi decimo octavo, vigeſimo primo, & vigeſimo ſexto. In Rotulo anni MCCCCXXII. dicitur ſcholam ordinariam Codicis regere argenteis millenis, cum antea Jus Pontificium tradidiſſet. Obiit anno MCCCCXXVII. ut eſt in decreto Senatus de ſucceſſore deligendo.

MCCCCIX.

Marinus Zabarella Patavinus, Decretorum Doctor & Profeſſor, hoc primum tempore inter Promotores reperitur, cum triennio ante inter Judices receptus fuiſſet. In notis Porcellini ad Collegii matriculam dicitur *conſummatiſſimus Juriſconſultus*, & adhibitus eſt etiam ad civitatis Statuta reficienda. Docuit uſque ad annum ſæculi vigeſimum ſeptimum, quo illum obiiſſe conſtat ex ſepulchri titulo in baſilica Antonia-

na. De hoc, & aliis Zabarellis Pancirolus lib. 3. cap. 29. Hoc ipſo anno ſæculi nono xv. Kal. nov. *Thomas de Cambiatoribus* Regienſis conductus eſt argenteis CXX. ad ſcholam Decreti regendam, eodemque tempore inter Judices relatus.

MCCCCXI.

Raphael de Raimundis Cumanus, al. *Raphael de Cuma*, hoc anno reperitur inter Juris Civilis Profeſſores: anno autem MCCCCXXII. tenuiſſe illum Infortiati ſcholam ſtipendio argenteorum DCC, conſtat ex veteri codice apud Urſatos. Quadriennio poſt Venetias accitus eſt cum *Fulgoſio*, & *Profdocimo de Comitibus*, ut paullo ante dixi, reip. gratia. Obiit anno Profeſſoribus totique civitati fatali MCCCCXXVII. ut colligitur ex decreto Senatus, quo illi ſucceſſor datus eſt. De ejus laudibus Pancirolus, Papadopolus, & alii plurimi. Una cum *Cumano* Jus Civile profeſſus eſt *Benedictus de Doctoribus:* ſed cœpiſſe videtur aliquanto ante. Anno certe ſæculi quarto inter Judices receptus eſt.

MCCCCXII.

Petrus de Ancharano Bononienſis, cum ſæculo ſuperiore primum Patavii, tum Ferrariæ, poſtea Senis, poſtremo in patria Jurisprudentiam profeſſus eſſet, anno MCCCCXII. rurſus a noſtris invitatus eſt, oblato ſtipendio argenteorum DC. Sed non multo poſt mortuus Bononiæ eſt fama ingenti. De illo, poſt Pancirolum, & alios multos, Oudinus de Scriptor. Eccleſ. T. III. p. 1239.

Joannes Bandinus Juris Civilis Profeſſor dicitur, & Promotor in Actis Curiæ Epiſcopalis hujus anni a. d. XII. Kal. dec. Conterraneus creditur fuiſſe *Antonii de Ducis* Florentini, qui per hos annos Decretum explicuit, ut colligitur ex Actis Eccleſiæ Tarviſianæ, in qua Canonicus fuit, & Vicarius Epiſcopalis.

MCCCCXIX.

MCCCCXIX.

Rugerius de Peruſio invenitur inter Promotores Alberti de Peruſio, qui probatus hoc anno eſt in Jure Civili, tituliſque Academicis decoratus. Iccirco inter Profeſſores quoque cenſendus videtur: niſi forte honorem hunc civi & conſanguineo Collegii Patres indulgentia quadam conceſſere; quod interdum eveniebat.

MCCCCXX.

Fabius Maximus a S. Urbano, ejus qui docuit ſæculo ſuperiore, ſeu filius, ſeu nepos, adfuit tamquam legum Doctor & Profeſſor cum tribus aliis ejuſdem ordinis Statutis patriis reficiendis. Anno MCCCCXXVIII. mortuo *Petro Marcello* Epiſcopo Patavino, miſſus eſt Venetias una cum *Stephano de Doctoribus* Medicæ facultatis Profeſſore, civitatis nomine, ut interpoſita Senatus auctoritate, *Ludovicus Barbus* Abbas Caſſinenſis, eximia virtute & pietate vir, in locum ejus ſufficeretur. Vixit ultra ſæculum medium.

MCCCCXXII.

Raynaldus de Camerino Decreti interpres cum doceret argenteis LXX. poſtridie Kal. Jan. obtinuit præterea quadragenos. Anno autem ſequenti poſtridie id. dec. facultatem impetravit reviſendi patriam per dies quadraginta, rediitque fide bona.

Paullus Doctus Patavinus hoc anno ſcholam regebat Sexti & Clementinarum ſtipendio argent. LX. perrexitque uſque ad annum MCCCCXXX. quo translatus eſt ad extraordinarium Decreti locum, aucto ſtipendio ad argent. CXXX. triennio autem poſt ad centenos octogenos.

Anno MCCCCXXXVIII. migravit ad ſcholam Decretalium ordinariam, quam tenuerat *Proſdocimus de Comitibus*, crevitque ſtipendium ejus ad argenteos trecentenos. Docuit per annos ſex & viginti, multaque ſcripſit, de quibus Mantua n. 207.

Bartholomæus Zabarella Patavinus, *Franciſci* ex Andrea fratre nepos, electus eſt ad locum ſecundum Sexti & Clementinarum ſtipendio argent. XL. Biennio poſt receptus eſt inter Judices, ut conſtat ex Actis ejus Collegii, ubi dicitur Romanæ Eccleſiæ Protonotarius. Hunc illi honorem Pontifex contulit anno MCCCCXVIII. ob Patrui merita; tantique fiebat ea tempeſtate, ut hoc uno nomine tamquam proprio appellaretur, & in Rotulo ſignaretur, ut eſt apud Tomaſinum l. 5. p. 495. Anno MCCCCXXX. cum jam eſſet Archiepiſcopus Spalatenſis, adhuc docebat. Poſt annos novem ad Archiepiſcopatum Florentinum translatus eſt. Eugenii IV. Legatus fuit ad Gallos & Hiſpanos. Sed cum Romam rediret Cardinalis deſignatus, Sutrii mortuus eſt pridie id. aug. MCCCCXLV. ætatis anno ſexto & quadrageſimo. De illo Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 216.

Paduanus de Pizzacominis, *Pizzacomini* filius, ad Artem Notariam profitendam conductus eſt argenteis XXXV. cum jam etiam ſæculo ſuperiore docuiſſet; quindenis *Jacobus de Muſſatis* Patavinus ad Inſtitutiones; denis *Antonius de Ariſtotelis* Sulmonenſis ad Jus Civile extra ordinem.

MCCCCXXIV.

Leo de Lazara Patavinus Eques, poſtea vero etiam Canonicus, hoc primum anno invenitur in libris Quæſtoriis, diciturque Juris Civilis Profeſſor; quamvis ex actis Collegii Judicum anno ſuperiore electus appareat. Anno MCCCCLVII. miſſus eſt cum tribus aliis ordinis ejuſdem ad cultum & honorem novo Venetiarum Duci Paſchali Maripetro Univerſitatis

tis nomine præſtandum. Obiit poſtrid. id. dec. MCCCCLXXI.

Marcus de Zacchis Piſanus Decreti interpres dicitur in albo Gymnaſtico hujus anni. Triennio poſt docere deſiit, jubente Senatu, ut eſt apud Ingulfum de Comitibus. Eodem tempore ſiluerunt *Michael Maurocenus*, & *Auguſtinus Michaelius*. Attamen *Michaelius* etiam annis ſequentibus invenitur inter Juris Promotores, ſemel autem etiam inter Promotores Artium, cum Laurea Philoſophica ornavit conſanguineum ſuum Hieronymum de Michaelis anno MCCCCXXXIV. ex peculiari quadam Collegii gratia pro moribus illorum temporum.

Coſmas Contarenus Venetus ad Decretum exponendum conductus eſt ſtipendio argenteorum XX. qui bis aucti anno MCCCCXLVI. crevere ad centenos. Senatus anno MCCCCLIII. commendavit Pontifici & Cardinalibus negotia ejus, quæ in Romana Curia jactabantur. Eodem anno ad ſcholam Juris Canonici ordinariam translatus cum fuiſſet, duplicatum illi ſtipendium eſt, *conſideratis* (ut eſt in ipſo Senatus decreto) *laboribus & expenſis occurrentibus pro dicta Lectura in ſubveniendo ſcholaribus de pecuniis & libris*. Obiit anno MCCCCLIX. x. Kal. novemb.

Petrus Francia refertur inter Juris Profeſſores in Rotulo hujus anni apud Tomaſinum p. 495.

MCCCCXXVI.

Bartholomæus Capiliſtius, Jo. Federici filius, docuit in Gymnaſio per annos tres & triginta, ut ſcribit Scardeonius. Obiit anno MCCCCXLIX.

MCCCCXXVII.

Galeatius ab Horologio Juris interpres hoc anno cum obiiſſet, vel abiiſſet, decrevit Senatus, ut tum illi, tum *Ra-*

phae-

phaeli Fulgoſio de Cuma, *ex Doctoribus Italiæ famoſiſſimis ſucceſſores quærerentur:* quæ ſunt verba ipſius decreti ab Ingulſo de Comitibus allata. Eodem tempore ſublata eſt Juris Pontificii ſchola, quam diebus feſtis habebat *Albanus Maurocenus* Venetus, Canonicus Patavinus, tamquam minus neceſſaria.

MCCCCXXVIII.

Albertus de Abaco ad Jus Civile extra ordinem interpretandum conductus eſt, attributa illi pecunia ſtipendii loco, quæ percipiebatur ex plateæ porticu, quæ reſpicit argentarios, ut ſcribit Monteroſſus de Prætoribus Patav. p. 33.

MCCCCXXIX.

Gulielmus de Collalto agenteis CLXXV. ad regendam Juris Civilis ſcholam accitus eſt. Sed quadriennio poſt cum Prætoris Vicarius creatus fuiſſet, Gymnaſium deſerere coactus eſt.

Jacobus de Zocbis quando eſſe in Gymnaſio cœperit, minus convenit. Hoc certe anno ſcholam Juris Canonici ordinariam tenebat; anno autem MCCCCXXXIII. auctum illi ſtipendium eſt ad argenteos CCL. Scripſit in lib. IV. Decretalium, ut eſt apud Riccobonum, & alia, quæ memorat Papadopolus. In ephemeridibus Monteroſſi menſe decembri p. 179. mortuus dicitur anno MCCCCLVII. Mantua & Pancirolus ejus vitam amplius producunt, ſed docendi tempus contrahunt. Sepultus eſt apud Monachos Caſſinenſes, quibus libros ſuos teſtamento reliquit.

Antonius de Pratoveteri Hetruſcus hoc primum anno in Gymnaſio docuit. Riccobonus, & Porcellinus eum Juris Civilis Profeſſorem faciunt, primum quidem veſpertinum, deinde matutinum, eique *Paullum de Caſtro* collegam tribuunt. Feudorum doctrinam collegit, & in titulos digeſſit: quem

librum

librum Fridericus Cæſar & probavit, & publice legi atque explicari juſſit. Poſtea hinc Senas migravit, deinde Bononiam, ubi conſenuit. De illo Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 222.

MCCCCXXX.

Angelus de Perillis, al. *de Periglis*, Peruſinus, decreto Senatus x. Kal. oct. conductus eſt ad Jus Civile profitendum argenteis CC. quibus præterea centeni additi ſunt biennio poſt, & locus illi datus inter Collegii Doctores, qui Numerarii dicuntur. Ceterum graves inter ipſum, & *Jo. Franciſcum Capiliſtium* interceſſere controverſiæ, quod eſſent antagoniſtæ, vulgo concurrentes. Quadriennio poſt dimiſſus eſt. Sæpe confunditur cum *Angelo de Ubaldis*, qui ſæculo ſuperiore vixit, quod uterque diceretur vulgo *Angelus de Peruſio*. Obiit in patria Academia anno MCCCCXLVI. & quædam ſcripſit, de quibus Pancirolus l. 2. c. 92.

Paullus de Aretio in Rotulo hujus anni tenuit ſcholam Sexti & Clementinarum ſtipendio argent. LX. qui crevere ad LXX. biennio poſt; ſed cito decrevere rurſus ad LX. ut *Joanni Imolenſi* ſalarium augeretur. Attamen probata poſtmodum Gymnaſio ejus opera, auctum eſt ſtipendium ejus ſemel atque iterum uſque ad argenteos CXXX. Sed anno MCCCCXXXIX. XIII. Kal. dec. iterum imminutum eſt ad centenos, ut refert ex decreto Senatus Ingulfus de Comitibus.

Marcus Caravellus Rector ſcholam de more obtinuit, & quidem Juris Canonici, ſed argenteis dumtaxat XX.

Jacobus de Joannis in annum ſequentem conductus eſt argenteis CCV. ad explicandas extra ordinem Decretales cum *Paullo de Doctis* collega & antagoniſta. Extat decretum x. Kal. oct. quo ipſe quoque *Conradus de Monte Regali* electus eſt ad Civiles Inſtitutiones anno ſequenti tradendas argenteis XXX.

Paullus de Caſtro, Faliſcorum oppido, Juriſconſultus totius Italiæ celeberrimus, ex Florentinis ſcholis ad noſtras accitus eſt valde ſenex argenteis DCCC. In Actis Curiæ Epiſcopalis invenitur inter Promotores anno ſuperiore, ſed in noſtris prima ejus mentio hoc ipſo habetur, & quidem a. d. x. Kal. oct. Controverſia eſt etiam de tempore, quo obiit. Io. Baptiſta a S. Blaſio ejus diſcipulus ſcribit, eum docuiſſe per annos quadraginta, & opera multa edidiſſe, quæ habes apud Papadopolum T. I. p. 214. Vide de illo Gravinam de Ortu & progreſſu Juris n. CLXVI.

Marianus Socinus Senenſis, ineunte ſæculo natus, Jus Pontificium Patavii expoſuiſſe dicitur juventute prima: unde poſtea in patriam rediit, ibique docendo conſenuit. Multa habentur de ejus vita & operibus apud Papadopolum; ex quibus tollenda fabella de Angeli Politiani cum illo controverſia; quandoquidem Politianus puer erat anno MCCCCLXII. quo *Marianus* deceſſit. Ejus merita & laudes abunde recenſuit Æneas Sylvius, ut eſt apud Pancirolum l. 3. c. 35. & Brancacinus de Jure Doctor. l. 3. c. 10. n. 15.

Ludovicus Calza Patavinus Jus Civile hoc anno profeſſus in Gymnaſio eſt, ſi Portenario credimus, auctori non ſatis idoneo, qui Scardeonium teſtem appellat, apud quem nulla prorſus *Calzæ* mentio. Ejus nomen invenitur in Collegii matricula apud Porcellinum, ſed ſine certa temporis nota. Invenitur etiam in Actis Collegii Judicum anno MCCCCLII. quo anno Naſcimbenius ejus filius in eum ordinem receptus eſt, diciturque eximius Doctor. Filiam nuptui collocavit magni nominis Profeſſori *Bartholomæo Cepollæ*, de quo dicemus loco ſuo.

MCCCCXXXI.

Joannes de Leone Patavinus invenitur inter Promotores Franciſci de Valentia, qui probatus eſt in Jure Civili III. id. jan. Ejus etiam mentio eſt in Actis Collegii Judicum ad

annum

annum MCCCCLIV. ubi dicitur Legum Doctor, & miles. Incertum, an Profeſſor. Idem dicendum de *Antonio de Florentia* Promotore Galeatii de Cypro, qui nonis Maiis anni ſequentis Lauream obtinuit in Jure Canonico.

MCCCCXXXII.

Jo. Andreas de Tarviſio Juris Canonici interpres affertur a Portenario pag. 229. & a Tomaſino pag. 236.

MCCCCXXXIII.

Petrus de Monte, al. *Montius*, al. *Montanus*, Venetus, hoc anno cum Lauream Juris utriuſque obtinuiſſet, docere cœpit Subſtituti titulo in ſchola *Proſdocimi de Comitibus*, qui aberat. Colligitur id ex ejus epiſtola non una in codice MS. apud Venetos Cœnobitas Dominicanos ſtrictioris obſervantiæ. Anno ſequenti Protonotarii titulum adeptus, ad Baſileenſe Concilium perrexit; inde autem cum rediiſſet, Brixiæ Epiſcopus creatus eſt. Juris utriuſque Repertorium edidit duobus maximæ formæ voluminibus, cujus præfationem habes in erudita Cardinalis Quirini epiſtola ad Aurelium de Januario poſtridie non. maj. MDCCLIV. & multa præterea ſcripſit, ut eſt in ejuſdem Cardinalis epiſtola ad Benedictum XIV. Vir fuit non doctrina modo, ſed genere ipſo dicendi mirifice excultus: ex quo apparet, ejus non eſſe *Tractatum prolixum & barbarum adverſus Orientale ſchiſma*, quod unum opus illi tribuit Papadopolus in ejus vita T. II. pag. 20.

Joannes Petruccius Peruſinus conductus eſt decreto Senatus XVI. Kal. ſept. ad ſcholam Juris Civilis extraordinariam, quam *Jo. Franciſcus Capiliſtius* ad Ordinariam translatus deſeruerat, argenteis CCC.

Franciſcus Porcellinus Patavinus, poſtquam multis in locis Jus utrumque profeſſus eſt, ut ſcribit Scardeonius, in patriam

 rediit,

rediit, affuitque hoc anno inter Promotores Joanni de Albertis Veneto. Credibile eſt, non paucis ante annis docere apud nos cœpiſſe, ſiquidem anno MCCCCXXIX. additi ſunt ſtipendio ejus argentei XV. idque fieri Senatus juſſit, quamvis Gymnaſii expenſæ ſummam quaternorum millium, decreto firmatam, excederent. Anno MCCCCXLIII. oblata eſt illi ſchola extraordinaria Juris Civilis, & paullo poſt auctum ſtipendium ad argenteos LXX. ſubinde vero ad centenos quinquagenos. In ſchedis Monteroſſi Ferrariæ quoque docuiſſe dicitur, & multa ſcripſiſſe.

Ubertus Trapolinus de Vicoaggeris, & *Nicolaus Savonarola* referuntur hoc anno inter Promotores, ille Juris Civilis, hic Pontificii; nec aliunde ſatis conſtat, utrum re vera Profeſſores eſſent.

MCCCCXXXIV.

Joannes de Portis Vicetinus, cum doceret argenteis ſexagenis, nonis octobr. obtinuit præterea quinquagenos, totidemque anno MCCCCXLIV. demum octo & vicenos quinquennio poſt. Anno MCCCCLVIII. adhuc ſcholam regebat, ut ſcribit Tomaſinus. Paucos poſt menſes *Antonius Marcellus* Subſtitutus ad Decretalium interpretationem declaratus eſt decreto Senatus, niſi opportune adeſſet Profeſſor ordinarius.

MCCCCXXXVI.

Joannes de Miliaria civis Bellunenſis ad ſcholam Univerſitatis electus apparet in Actis Curiæ Epiſcopalis, ubi refertur Galeatii examen ejus filii ad Lauream obtinendam. Niſi forte verba, quæ ambigua ſunt, ad filium ipſum referri debent.

MCCCCXXXVII.

Jacobus Alvarotus, Alvaroti filius, Patavinus Petri frater, refer-

refertur inter Promotores Alvaroti de Alvarotis xv. Kal. oct. In patrium Judicum Collegium multo ante receptus fuerat; ſed poſtea tranſiit in Hetruriam, ubi Judicis officio functus eſt. Inde cum rediiſſet, docendi munus recepit. In Porcellini notis ad matriculam dicitur *Maximus Juriſta*, & *Maximus Practicus*. Obiit anno MCCCCLIII. cum anno ante orationem habuiſſet civitatis nomine pro adventu Friderici III. Imperatoris Romam pergentis. De Uſibus Feudorum ſcripſit, & in ſepulchri epigraphe apud Scardeonium dicitur *in rationibus Feudorum privatim & publice eminentiſſimus: licet*, ut idem ait Scardeonius, *olim aliud legeretur*. Hinc Biographi eum Feudalis diſciplinæ Profeſſorem faciunt, quamvis Feudorum ſchola anno dumtaxat MCCCCLXXVI. aperta fuerit. De illo Mazzucchellus T. I. p. 548.

Andreas Venerius Venetus ipſe quoque inter Promotores Alvaroti de Alvarotis numeratur, ſed certiora deſiderantur monumenta, quibus inter Profeſſores referatur.

MCCCCXXXVIII.

Joſaphat de Sala in Actis Collegii Judicum dicitur egregius Legum Doctor, & in Porcellini notis ad matriculam *magnus Textualis*. Hoc anno vi. id. nov. cenſetur inter Juris Civilis Promotores.

Joannes Garzo, al. *Garzonus*, al. *de Garzone* Venetus, Juris Pontificii Profeſſor, hoc anno docere cœpit, perrexitque ultra ſæculum medium, & quædam ſcripſit, quæ recenſet Papadopolus in T. I. p. 218. Inter claros Juris interpretes refertur a Pancirolo l. 3. c. 29. Alium *Joannem de Garzone* in Vindobonenſi Univerſitate, exeunte ſæculo ſuperiore, docuiſſe, habemus ex Catalogo Georgii Ederi ejus Univerſitatis Rectoris.

Antonius Roſellus, al. *Roycellus*, Aretinus, poſt varios caſus, quos refert ejus diſcipulus Bertachinus, & ex eo Papadopolus, Roma ad nos venit conductus argenteis D. ad

Jus

Jus Pontificium interpretandum. Anno MCCCCLVII. ipſum quoque illi additum eſt *Angeli de Caſtro* ſtipendium: triennio autem poſt cum volumina duo Principi dicaſſet, conceſſum illi præmii loco eſt, quemadmodum refert Ingulfus de Comitibus, ut ſcholam ſibi pro arbitrio eligeret. Antagoniſtas habuit primum *Paullum de Doctis*, deinde *Coſmam Contarenum*. Anno MCCCCLX. v. Kal. oct. indulſit illi Senatus, ut cum vellet, & quamdiu vellet, arbitratu ſuo doceret, *Juris & Sapientiæ monarcha* vocitatus. Obiit ſexennio poſt, laudatuſque in funere eſt a Petro Barocio Patr. Ven. In notis Porcellini ad Matriculam dicitur Comes, Eques, & Advocatus Conſiſtorialis. De illo Pancirolus, & Oudinus T. III. p. 2338.

Laurus Palazzolus, Simonis filius, Patavinus, cum teneret ſcholam Juris Canonici extraordinariam, hoc anno auctum eſt ſtipendium ejus argenteis XV. triennio autem poſt XVIII. In notis Porcellini per annos multos legiſſe dicitur, & *Doctor ſubtilis* vocatur. Obiit anno MCCCCLXV. Præter opera, quæ ab eo ſcripta referuntur a Scardeonio & Papadopolo, extat in Veneta D. Marci Bibliotheca *Lauri de Palazzolo Oratio pro regia urbe Patavina, & Collegio Juriſtarum, habita in adventu Cardinalis S. Laurentii in Damaſo Patriarchæ Aquilejenſis*.

MCCCCXXXIX.

Nicolaus Canalis, & *Jacobus Zenus*, Veneti, in ipſo juventutis flore ad ingenium exercendum publice docuerunt, ille Decretorum, hic Legum Civilium interpres; & utriuſque nomen hoc anno inter Promotores reperitur.

Albertus Porcellinus Patavinus recenſetur inter Promotores Jacobi de Sancto Bono, qui probatus eſt in Jure Canonico XII. Kal. jun. In notis Antonii Porcellini ad matriculam dicitur expoſuiſſe Jus Canonicum extra ordinem. Ejus ſchola anno

anno MCCCCXLII. oblata eſt *Danieli de Bealdis*, niſi eam maluiſſet *Barbonus Maurocenus*.

MCCCCXL.

Ludovicus de Malitia, al. *de Malitiis*, Patavinus, Abbas Prataleæ, refertur inter Juris Pontificii Profeſſores a Panciro-lo l. 3. c. 33. & a Tomaſino p. 236. Extat etiam ejus nomen in Collegii matricula, diciturque Decretorum Doctor; ſed aliquanto ante docere cœpit.

Franciſcus Barocius Patrit. Ven. Paulli II. P. M. ex ſorore nepos, Jus Pontificium per hæc tempora profeſſus eſt, diciturque a Tomaſino, & Mantua *Antonii Roſelli* Collega. Anno MCCCCLXIV. cum Decretum interpretaretur argenteis quinquagenis, obtinuit præterea denos poſtridie Kal. mart. eodemque decreto in Collegium admiſſus eſt. Biennio poſt Romam ſe contulit, ubi primum Datarius, poſtea vero Epiſcopus Tarviſianus creatus eſt; ejuſque ſcholam occupavit *Jo. Jacobus Canis*, de quo infra.

Joannes de S. Lazaro Patavinus anno ſuperiore in Judicum Collegium receptus eſt, hoc autem in Gymnaſium venit Juris Civilis interpres. Triennio poſt VII. id. oct. auctum eſt ſtipendium ejus ad argenteos LX. Anno MCCCCXLVIII. poſtridie Kal. febr. novo Epiſcopo *Fantino Dandulo* Patavium advenienti oratione gratulatus eſt. Scripſit de Judiciis.

Proſdocimus de Limena, Sacerdos Patavinus, inter Juris Canonici Profeſſores refertur hoc anno a Tomaſino.

MCCCCXLI.

Joannes de Prato Veronenſis per hæc ferme tempora ingreſſus in Gymnaſium eſt, & fuit inter Promotores Henrici de Friburgo Juriſtarum Rectoris. Triennio poſt auctum eſt ſtipendium ejus ad argenteos CCC. quibus poſt annos totidem additi

ſunt

ſunt quinquageni. Scholam tenuit Juris civilis extraordinariam, ut colligitur ex decreto Senatus poſtridie id. Jul. MCCCCLV. In notis Porcellini ad Collegii matriculam floruiſſe dicitur anno MCCCCLIX. Quidam putant, *Marcum* ejus filium anno MCCCCLXXVII. ſcholam rexiſſe ordinariam matutinam Juris Civilis: ſed deeſt auctor certus. Illud certum eſt, forenſibus eum cauſſis operam dediſſe, ut ſcribit Pancirolus l. 2. c. 14.

Belfortis Chechileus Patavinus Jus Civile per multos annos expoſuit, ut ſcribit Scardeonius p. 179. & dictus eſt *omnium optimus ſuæ ætatis Textualis*. Ego illum ad hunc annum retuli ex Tomaſini fide.

Leonardus de Picciolis Kalendis februariis ſtipendii auctarium obtinuit, ut ſcribit Ingulfus de Comitibus. Ex quo illum apparet inter Profeſſores fuiſſe, & annis ſuperioribus docere cœpiſſe.

Antonius de S. Leonardo Patavinus a Scardeonio Juriſconſultus vocatur in docendo elegantiſſimus, ſed memoriæ laude præſertim effertur. In notis Porcellini docuiſſe dicitur per plures annos extra ordinem.

MCCCCXLII.

Antonius de Leone Patavinus docuiſſe fertur extra ordinem, & *bonus Textualis* a Porcellino vocatur. Anno MCCCCLXIV. xv. Kal. febr. traductus eſt ſtipendio argent. XXX. ad Sextum & Clementinas loco *Jo. Jacobi Canis*. Obiit biennio poſt.

Barbonus Maurocenus XIV. Kal. dec. Lauream adeptus, exeunte novembri inter Juris Civilis Promotores numerari cœpit. Anno proximo oblata eſt illi ſchola extraordinaria, quam *Albertus Porcellinus* tenuerat. Jamdiu autem *Barbonus* inter ſcholares fuerat, & abſente Univerſitatis Rectore, ejus vices obierat.

MCCCCXLIII.

Angelus de Caſtro, *Paulli* filius, ad Jus Pontificium explicandum conductus eſt libellis Venetis centenis, quæ in aureos totidem mutatæ ſunt anno MCCCCLIV. Poſtea Romam migravit, ubi Eques, Comes, & Advocatus Conſiſtorialis creatus eſt. Sed cito ad nos rediit; jamque anno MCCCCLVIII. ſcholam Juris Canonici ordinariam tenebat argenteis CCL. quibus additi ſunt quinquageni anno MCCCCLXII. Ob æs alienum fratris, pro quo fidejuſſerat, ſolum vertit, ſeque Rhodigium contulit. Sed inde revocatus eſt, ac decreto Senatus munitus, ut Patavii tuto eſſe poſſet, ſuoque muneri ſatisfacere. Rurſus autem anno MCCCCLXVI. auctum eſt ſtipendium ejus argenteis centenis. Collegio etiam eſt aggregatus per litteras Ducales anno MCCCCLXXIV. & quidem inter eos, qui Numerarii vocantur. Sed cum receptus non fuiſſet, Senatus anno poſt tribuit illi hoc nomine argenteos L. Demum ſtipendium ejus anno MCCCCLXXXI. crevit ad argenteos quingenos: quadriennio autem poſt obiit. Vide Pancirolum l. 2. c. 89.

Jo. Jacobus Canis Patavinus Jus utrumque in Gymnaſio profeſſus eſt per annos ſex & quadraginta. Anno MCCCCLXV. ſcholam Juris Canonici extraordinariam, quam *Laurus Palazzolus* tenuerat, occupavit ſtipendio argenteorum LV. cum antea explicuiſſet Sextum & Clementinas. Idibus autem Januariis anni ſequentis ſucceſſit *Franciſco Barocio*, ut diximus. Quod filios duodecim haberet, obtinuit a Senatu anno MCCCCLXXVIII. municipalium onerum vacationem, auctumque illi triennio poſt ſtipendium eſt ad argent. CL. Deceſſit admodum ſenex anno MCCCCXCIV. cum multa ſcripſiſſet, quæ referuntur a Scardeonio & Papadopolo. Adde iis Jus Canonicum, & Civile carminibus expreſſum, typiſque Patavinis editum per Matthæum Cerdonis

anno MCCCCLXXXXV. itemque Dialogos duos, alterum de Conſtantini donatione, alterum de Arbitris.

MCCCCXLIV.

Franciſcus Capiliſtius, *Jo. Franciſci* filius, cum Sextum & Clementinas interpretaretur, auctum eſt ſtipendium ejus XIII. Kal. nov. argenteis quinquagenis. Docuit autem magna cum laude per annos quadraginta, ut ſcribit Pancirolus ex Scardeonio; niſi forte de patris meritis uterque impertitus eſt filio. Non in Jure modo, ſed etiam in mitioribus litteris excelluit, præſertim vero in Poetica facultate. Anno MCCCCLVII. ad novum Venetorum Ducem Paſchalem Maripetrum civitatis nomine allegatus, ut gratularetur, elegantem orationem habuit. Legationis, ut eſt in Actis, comites fuere Doctores alii tres, Leo de Lazara, Stephanus de Doctoribus, Franciſcus de Bradiolo; milites quatuor, Antonius de Obizzis, Patarus Buzzacarinus, Leonellus de Leone, Nicolaus de Comitibus; nobiles cives duo, Gajardus, & Ubertinus Capivacceus; mercatores item duo, Joannes Rubeus, & Campolongus de Acelo: ſinguli autem cum duobus ſcutiferis, & duobus famulis.

MCCCCXLV.

Urbanus Vignatus Venetus, Petri filius, Jus Civile profeſſus in Gymnaſio eſt, & in Collegii matricula hoc anno dicitur *actu legens*. Poſtea Sebenici Epiſcopus creatus eam rexit Eccleſiam, non tamen ante annum ſæculi quinquageſimum quartum, nec ultra ſexageſimum nonum.

Joannes de Manfredis Bononienſis hoc anno in ſcholis Patavinis docebat: & cum litis gratia Romam pergere vellet, facultatem non obtinuit, ut refert Ingulſus de Comitibus.

Benedictus Sala Juris interpres ex Scardeonio per hæc tempora

pora floruit. Stipendium ejus anno MCCCCXLIIX. erat argenteorum LV. quibus anno ſequenti additi ſunt XV. ut ſcholam veſpertinam extraordinariam regeret. Anno MCCCCLII. Eques creatus eſt a Friderico III. Imperatore. Obiit peſte biennio poſt.

MCCCCXLVI.

Bartholomæus Cepolla Veronenſis, Eques, & Comes Palatinus, Ædilitium Edictum hoc anno explicare in Gymnaſio cœpit. Anno MCCCCLVIII. ſcholam ordinariam Juris Canonici obtinuit aureis centenis, qui anno poſt duplicati ſunt, antagoniſta cum eſſet *Alexandri Imolenſis*, quocum acres exercuit ſimultates ex mutua præſtandi libidine ortas. Anno MCCCCLXIV. rurſus auctum eſt ſtipendium ejus ad aureos trecentenos. Biennio poſt Romam invitatus inter ſacri Conſiſtorii Advocatos relatus eſt. Sed cito Patavium rediit; jamque anno MCCCCLXX. ſcholam Juris Civilis tenebat ordine ſecundam, unde quadriennio poſt ad primam progreſſus eſt. Deceſſit idibus maiis MCCCCLXXV. De illo, ejuſque operibus Papadopolus, & Maphejus l. 3. de Script. Veron. pag. 101.

Ludovicus de Portis Vicetinus VII. Kal. nov. veniam impetravit Juriſprudentiæ publice tradendæ, oblata opera ſine ſtipendio. Paucis autem poſt menſibus *Bartholomæus de Caſtro* Juris interpres veſpertinus obtinuit, ut mane docere poſſet, idque commodo ſuo faceret. Ex ſchedis Ingulfi de Comitibus.

MCCCCXLVIII.

Jo. Franciſcus Pavinus, Canonicus Patavinus, non Juriſconſultus modo, ſed etiam Theologus, Decretum explicuit argenteis XXX. In Porcellini notis ad Collegii matriculam dicitur *Doctor famigeratiſſimus*. Poſtea Romam accitus a Paul-

lo II. inter ſupremos ejus Curiæ Judices, quos ſacræ Rotæ Auditores vocant, relatus eſt; ibique peſte obiit idibus maiis MCCCCLXXXIV. De ejus operibus videndus Scardeonius, & Pancirolus l. 3. c. 44. qui cum *Pavino* conjungit *Otonellum Paſinum* illius ex ſorore pronepotem, aitque hunc ipſum in Patavinis ſcholis Sextum Decretalium expoſuiſſe, ſed paullo poſt ad forum migraſſe.

MCCCCXLIX.

Simeon Michael Volticus de Montona, S. Theologiæ Baccalarius, & Decretorum Doctor, Collegii Pratenſis Rector, electus hoc anno eſt ad ſcholam ordinariam Decreti regendam. Num revera docuerit, & quamdiu docuerit, non ſatis compertum. Idem dicendum de *Nicolao de Baſſano*, & *Simone de Læliis* Interamnenſi, qui inter Juris Civilis Promotores reperiuntur.

MCCCCL.

Antonius Capiliſtius, Canonicus Patavinus, Juris Pontificii Profeſſor, ut eſt apud Riccobonum l. 1. c. 12. ſi Pancirolo credimus, docere cœpit quinquennio ante. Mortuus eſt anno MCCCCLXXXIX. pridie id. ſept. ut eſt in Collegii matricula.

Michael de Reprandis junior Maroſticenſis, cum ſcholam ordinariam Juris Civilis teneret ſtipendio argenteorum XXX. anno MCCCCLVIII. obtinuit præterea quinquagenos, docuitque uſque ad annum vitæ ultimum MCCCCLXXXVI.

Franciſcus Alvarotus, *Petri filius*, Canonicus Patavinus, per hæc ferme tempora in Gymnaſio docuit, & Ludovici Cardinalis Mediarotæ Patavini, Patriarchæ Aquilejenſis, Vicarius fuit. In decreto Senatus MCCCCLVIII. III. id. oct. dicitur conducendus argenteis XL. ad Decreti explanationem. Obiit anno

MCCCCLX.

MCCCCLX. De illo Scardeonius, & Papadopolus T. I. p. 217.

Franciſcus Accoltus Aretinus, magis patria in noſtris monumentis, quam cognomine notus, ſummi ingenii doctrinæque vir, Latinis Græciſque litteris exercitatus, non apud nos modo, ſed in multis Italiæ Gymnaſiis Juriſprudentiam profeſſus eſt, & quidem fama nominis tanta, ut quocunque ſe conferret, ſtudioſam juventutem traheret. *Subtilitatum princeps* vulgo appellatus eſt. Exacta jam ætate cum Ferrariæ doceret, infrequentiæ pertæſus munus deſeruit, & in patriam rediit. Mortuus eſt in balneis Senenſibus, quo ſe valetudinis gratia contulerat anno MCCCCLXXXIII. De illo, poſt Pancirolum & Papadopolum, Fabruccius de Piſano Gymn. in T. 43. Opuſcul. Venet. p. 219.

Franciſcus Verzeleſius, al. *Verzelenſis*, ordinariam Juris Canonici ſcholam tenuit, ut ſcribit Portenarius, & quædam etiam commentatus eſt in Sextum & Clementinas. Hunc ſecutus eſt *Joannes*, qui patre major dicitur a Papadopolo, & plura ſcripſit, ſed non ſatis conſtat, eum inter Profeſſores fuiſſe. Ex eadem gente fuit *Lælius Verzelenſis*, qui Juris Profeſſor dicitur a Porcellino, & *Subtilis Doctor*, obiitque anno ſæculi proximi primo.

Federicus de Vigontia Patavinus Jus Civile per hæc tempora profeſſus eſt, vixitque uſque ad annum MCCCCXC. *Bonus Textualis* vulgo dictus. Patrem habuit *Joannem de Vigontia*, quem eximium legum Doctorem vocat Scardeonius, multiſque laudibus effert, non tamen Profeſſorem facit.

Modeſtus Polentonus Patavinus, Eques, Xicconis filius, Jus Civile in Gymnaſio profeſſus eſt uſque ad annum MCCCCXC. quo deceſſit. De illo ſcripſit Kappius in Xicconis Vita Lipſiæ edita anno MDCCXXXIII. Per idem ferme tempus floruit *Benedictus de Raimundis* Cumanus, *Raphaelis* filius, Juris Civilis interpres, quem Mantua ſcribit docuiſſe per annos amplius triginta.

MCCCCLII.

MCCCCLII.

Joannes Baptiſta de Roſellis, *Antonii* patruelis, in Actis hujus anni dicitur Juris Canonici Profeſſor. Sexennio poſt conductus eſt ad ſcholam Sexti argenteis quadragenis. Porcellinus ait, eum docuiſſe per annos duos & quinquaginta. *Magnus Platonicus* dictus eſt, quod Platonis philoſophiam coleret. Anno MCCCCLXIV. ad ſcholam migravit Juris Civilis extraordinariam, ſexennio autem poſt ad ordinariam, aucto ſtipendio ad argenteos CL. Anno MCCCCLXXIX. Venetias vocatus eſt una cum *Petro de Soncino*, ut de republica conſuleretur: biennio autem poſt utriuſque ſtipendio additi ſunt argentei quinquageni Senatus decreto honorificentiſſimo pridie Kal. oct. perſcripto. Rurſus *Roſello* anno MCCCCLXXXII. poſtridie id. febr. auctum minerval eſt ad argenteos CCC. cum locum Juris Civilis primarium teneret, totiuſque Gymnaſii doctiſſimus haberetur. Anno poſt ad Jus Canonicum rediit, auctumque illi ſtipendium eſt ad argenteos CCCCL. Anno ſæculi proximi ſeptimo obtinuit per litteras Triumvirales, ut doceret *ad beneplacitum*. Credibile eſt, maluiſſe illum leges Civiles interpretari; ſiquidem in Rotulo anni MDIX. primum locum occupat Juris Cæſarei. Obiit anno ſequenti. Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 233.

MCCCCLV.

Petrus de Barbobus de Soncino cum anno ſuperiore Lauream cepiſſet, promovente *Petro de Zacchis*, mox ad extraordinariam Juris Civilis ſcholam electus eſt. Anno MCCCCLXXII. pomeridianam ordinariam tenebat, collega ejus cum eſſet *Antonius Franciſcus de Doctoribus*. Venetias quoque interdum vocatus eſt, ut conſilium in re gravi præberet. Auctum illi iterum ac ſæpius ſtipendium eſt ad argen-

argenteos uſque CCCL. Obiit anno MCCCCLXXXII. ut colligitur ex decreto Senatus xv. Kal. febr. quo illi ſucceſſor datus eſt *Joannes Campegius*. De illo ejuſque operibus Scardeonius, Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 226.

MCCCCLVI.

Balthaſſar Turrinus Prorector, hoc anno Jus Canonicum profitebatur, ut ſcribit Tomaſinus pag. 391. Piſcienſis fuit, & *Turinius* dicitur a Placido Puccinellio in Piſcienſibus monumentis.

Alexander de Nævo Canonicus Vicetinus, & Tarviſianus, in Collegii matricula dicitur a Porcellino *magnus Legiſta*, & *optimus Canoniſta*. Bis auctum ſtipendium ejus crevit ad argenteos CL. Scholam ordinariam Juris Canonici anno MCCCCLXXXII. tenebat, admiſſuſque eſt in Collegium Judicum. Triennio poſt in patriam rediit valetudinis cauſſa; ibique obiit anno ſequenti nondum ſenex. Ejus opera recenſent Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 227.

MCCCCLVII.

Michael Miliaria ex Judice Quæſtionum Juris Civilis Profeſſor creatus eſt ſtipendio argent. XXX. Papadopolus eum obiiſſe putat anno MCCCCLXII. ſed anno MCCCCLXXXI. adhuc docebat, & quidem argenteis centenis, quibus poſtridie non. oct. additi ſunt præterea XXV. Bellunenſis cum eſſet, jam anno MCCCCXLIV. inter Patavinos Cives relatus fuerat. De illo Scardeonius, & fuſius Papadopolus.

MCCCCLVIII.

Petrus de Bagarottis Patavinus ſcholam Juris Canonici extraordinariam tenebat, ut ſcribit Tomaſinus p. 496. In A-

ctis

ctis autem anni MCCCCLXXI. dicitur Sexti & Clementinarum interpres ſtipendio argent. LXXV. qui decennio poſt aucti ſunt ad centenos. Obiit Venetiis anno MCCCCLXXXII. dictuſque eſt *ſubtilis Doctor*. De illo, aliiſque Bagarottis Scardeonius, & ex eo Papadopolus. Omittendus non eſt *Antonius Bagarottus*, qui in ipſo juventutis flore per hæc tempora Jus Civile in Gymnaſio tradidit : ſed cito ſcholam deſeruit, ſeque rebus agendis dedit, & munera graviſſima apud Maximilianum Cæſarem ſuſtinuit.

Federicus Capiliſtius Juris Civilis Profeſſor, cum doceret ſtipendio argent. C. anno ſequenti obtinuit præterea XV. *Doctor veritatis* dictus eſt, ut ſcribit Pancirolus l. 2. c. 84. & *elegantiſſimus legum Doctor* vocatur in Matricula Judicum anni MCCCCXXXIV. quo anno in ordinem illum receptus eſt. Laudatur etiam a Scardeonio p. 179.

Alexander de Tartagnis Forocornelienſis, al. *Alexander de Imola*, *Cepollæ* Collega & antagoniſta, nihilo ingenio & doctrina minor, ſed moribus paullo mitior, Jus Canonicum hoc anno profitebatur argenteis DC. Litium pertæſus ad Jus Civile migravit, auctumque illi ſtipendium eſt argenteis centenis. In Collegium quoque admiſſus eſt anno MCCCCLXVII. ſed poſtea ad Bononienſe Gymnaſium tranſiit, ibique docuit uſque ad annum MCCCCLXXXVII. quo mortuus eſt. *Veritatis Pater*, & *aureus Doctor* vocitatus eſt; multaque ſcripſit, de quibus Pancirolus l. 2. c. 112. & Gravina de Ortu & progreſſu Juris Civilis T. I. n. 167.

MCCCCLIX.

Lanfrancus ab Oriano Brixianus, Juris Canonici interpres, per hæc tempora floruiſſe fertur : non tamen ultra quadriennium, ut ſcribit Porcellinus. Cum in patriam rediiſſet, anno MCCCCLXXXVIII. exceſſit e vivis. Quædam etiam ſcripſit, de quibus Trithemius, & alii.

Jo.

Jo. Baptiſta a S. Blaſio, al. *Samblaſius*, Patavinus, de quo ſcriptores noſtri omnes, hoc anno Juriſprudentiam in Gymnaſio profiteri cœpit. Cum ſcholam diu tenuiſſet, demum pertæſus Brixiam migravit, ut Prætori Judex aſſideret, ibique mortuus eſt anno MCCCCXCII. Catalogum ſcripſit de Juris interpretibus, unde elogiorum ſcriptores valde profecerunt; & alia præterea, quæ recenſent Pancirolus, & Papadopolus.

MCCCCLXII.

Petrus Molinus Venetus, Juris interpres cum eſſet, aureis conductus quiquagenis, hoc anno poſtridie non. nov. confirmatus eſt, additis argenteis XXX. & jure Collegii. Eodem anno docebat *Antonius Bernardus* item Venetus, eodemque Senatus decreto attributi ſunt ipſi quoque argentei XXX. In Collegii matricula uterque docuiſſe dicitur per annos multos extra ordinem. *Bernardus* porro quædam ſcripſit in primam Digeſti veteris partem; & cum ad rempublicam tranſiſſet, Equitis dignitatem obtinuit. Utrumque paucis menſibus præceſſerat eorum Civis *Antonius Dandulus*, quem Profeſſorem ſubtilis ingenii appellat Porcellinus; ſed vix annum integrum in Gymnaſio fuit. Piſis, & Peruſii docere maluit; ediditque Juris Tractatum non contemnendum. Ex Venetis ne *Gabriel* quidem *Contarenus* omittendus eſt, qui cum Jus Civile profiteretur ex loco tertio argenteis denis, poſtea progreſſus fertur ad ſcholam nobiliorem, ut cum *Samblaſio* diſputando certaret.

MCCCCLXIV.

Antonius Franciſcus de Doctoribus Patavinus Juris Civilis Inſtitutiones hoc anno tradere cœpit ſine ſtipendio. Poſtea Ferrariæ docuit, ubi antagoniſtam habuit *Felinum Sandeum*, de quo Pancirolus l. 3. c. 42. Anno MCCCCLXXII. in

patrium Gymnaſium cum rediſſet, ſcholam rexit Juris Civilis ordinariam pomeridianam, collega *Petri de Barbobus*. Poſt annos ſexdecim migravit ad locum ſecundum ordinarium Juris Canonici, cum *Antonius Corſettus* primum teneret, ſtipendio argenteorum CL. quibus quinquennio poſt additi ſunt præterea quinquageni. Anno MCCCCXCVIII. ſuffectus eſt *Chriſtophoro de Albericis*, ut Jus Civile interpretaretur, additis ſtipendio ejus argenteis centenis: ſed ſæculi proximi altero rurſus rediit ad Jus Canonicum, & quidem ſcholæ primæ, *Corſetti* ſucceſſor. Hic vero antagoniſtam habuit *Antonium de Burgos*, cui poſt varias controverſias, quippe extero homini, locum primum cedere coactus eſt, uſque ad bellum proximum. Rebus poſt bellum compoſitis, anno MDXVII. rurſus evocatus eſt ad ſcholam ſecundam Juris Pontificii matutinam ſtipendio ſuo argenteorum CCC. quadriennio autem poſt ad Decretum translatus vixit uſque ad annum MDXXVIII. Porcellinus ſcribit, eum docuiſſe per annos quinquaginta tres. Vide diſcipulum ejus Scardeonium p. 188. Pancirolum, & Papadopolum.

Jacobus Leoniſſa Canonicus Patavinus, cum Jus Civile profiteretur ſtipendio argent. C. paullo poſt ad Pontificium migravit. Anno MCCCCLXVII. Venetias ſe contulit una cum *Bartholomæo Cepolla*, Gymnaſii nomine & expenſis, obtinuitque VI. Kal. mart. ut Bacchanaliorum vacationes, quæ longius trahebantur, ad dies decem coercerentur. Vel ex hoc uno ſatis apparet, quantus eſſet ea tempeſtate docendi ac diſcendi ardor, cui jam pares non ſumus. Mortuus eſt anno MCCCCLXXII. poſtridie id. aug. ut eſt in Collegii matricula. De illo Riccobonus, & Scardeonius, qui ejus vitam biennio amplius producit.

MCCCCLXV.

Antonius Urſatus Patavinus XV. Kal. febr. conductus eſt argenteis denis, ut *Gabrieli Contareno* ſuccederet, additique ſunt

ſunt ſtipendio ejus præterea XXV. triennio poſt. Anno MCCCCLXXII. cum Præſes Collegii eſſet, ejus Conſtitutiones emendari curavit, & ad ſæculi mores accommodari. Pluribus probatus experimentis, anno demum MCCCCXCIII. VII. id. nov. progreſſus eſt ad ſcholam ſecundam Juris Civilis ordinariam matutinam, antagoniſta *Chriſtophori de Albericis*; crevitque ſtipendium ejus ad argenteos CC. Cum autem *Baviera* anno MCCCCXCVI. excluſus fuiſſet, *Urſatus* XV. Kal. jul. ad ſcholam ejuſdem ordinis pomeridianam translatus eſt, collega *Jaſonis de Mayno*, qui primam tenebat. Vixit uſque ad X. Kal. Maj. anni ſequentis, quo die, ut habemus ex Collegii matricula, mortuus eſt. Papadopolus ætatem ejus protrahit uſque ad annum ſæculi proximi octavum; monetque hac in re corrigendum eſſe Pancirolum.

Franciſcus de Palazzolis Patavinus Lauri filius, invenitur hoc anno inter Juris Canonici Promotores; &, ſiquidem etiam inter Profeſſores fuit, hujus claſſis ſcholam rexiſſe videtur; cum ceteroquin non Decretorum, ſed Legum Doctor eſſet, ut habetur ex Judicum matricula.

Nicolaus de Spilimbergo conductus argenteis centenis ad Decretales extra ordinem interpretandas, hoc ipſo anno in Collegium admiſſus eſt, ſequenti autem invenitur inter Promotores Joannis Baptiſtæ de Lege. Anno poſt vel obiit, vel abiit.

MCCCCLXVI.

Joannes Baptiſta de Lege Venetus, Eccleſiæ addictus, Jus Pontificium tradere per id tempus cœpit ſtipendio argent. L. In Senatuſconſulto anni MCCCCLXVIII. XI. kal. jul. quod perſcriptum non eſt, intercedentibus Conſiliariis, dicitur Decreti interpres, & prorogatur illi munus, imminuto ſalario ad argent. XXVIII. Anno MCCCCLXXII. cum ſedes Epiſcopalis Torcellana vacaret, inter Candidatos fuit. In notis Porcellini dicitur *Bonus Legiſta*. Hoc ipſo anno *Aloy-*

ſius Bertoldus Patavinus promovit ad Lauream Juris Civilis Gabrielem de Gabrielis civem ſuum; diciturque in Judicum matricula *egregius Legum Doctor*. Attamen non auſim illum inter Profeſſores juratus numerare.

MCCCCLXVII.

Georgius de Priolis Venetus conductus eſt ad Jus Pontificium profitendum. In Collegii matricula dicitur *Magnus Canoniſta*, & memoratur inter claros Juris interpretes a Pancirolo l. 3. c. 38. Etiam *Joannes de Veriolenſibus*, qui Kalendis ſextilibus hujus anni promovit ad Lauream Danielem de Obizzis, dicitur Legum Doctor atque interpres. Sed, ſi publice docuit, non perrexit ultra annum. Per annos plures docuiſſe dicitur *Jacobus Leonius* Patavinus in Collegii matricula: & ſane uſque ad annum MDIV. invenitur ejus nomen inter Juris Civilis Promotores. *Bartholomæus* quoque *Capiliſtius* junior Juris Canonici Profeſſor extraordinarius hoc anno in Gymnaſio fuit, ſed antea profecto venerat; ſiquidem anno proximo auctum illi ſtipendium eſt ad argenteos octogenos. Scholam eum rexiſſe annos tres ſupra viginti ſcribit Pancirolus l. 2. c. 84.

MCCCCLXVIII.

Dominicus Canis Patavinus x. kal. jun. inter Juris Canonici Promotores refertur; & ex Senatus conſulto ix. kal. febr. MCCCCLXXVIII. colligitur, cum Decreti interpretem fuiſſe. Ejus ſcholam, dum Romam proficiſceretur inter Cardinalis Foſcareni comites ac deductores, tenuit Subſtituti nomine *Andreas Triviſanus*.

Jo. Franciſcus Paſchalicus Venetus electus ad Clementinas explicandas non meruit ultra biennium. Memorantur etiam hoc anno inter Juris interpretes a Monteroſſo *Bartholomæus Capellus*, & *Jacobus a Puteo* Alexandrinus a Ghelino. Alter an-

autem *Jaſonis* magiſter fuit, ut ex *Jaſone* ipſo refert Pancirolus l. 2. c. 90. Huc refert Mantua n. 79. *Chriſtophorum de Alexandris* Patavinum, aitque per plures annos docuiſſe; ſed hoc anno, ſi Monteroſſo fides, jam objerat, cum ſcripta quædam reliquiſſet non vulgaria.

MCCCCLXX.

Jacobus a Flumine Patavinus Lauream contulit Nicolao filio, ſed fortaſſe ex indulgentia Collegii. Idem ajo de *Jo. Dominico de Purciliis*, de *Joanne Contareno* Veneto, de *Joanne de Leone* Patavino, de *Stephano de Minis* Montaneanenſi, quos certo conſtat hoc anno inter Juris Promotores fuiſſe; dubium autem eſt, num etiam inter Profeſſores fuerint. Dubitari nequit de *Petro Feramuſca* Vicetino, quem Civiles Inſtitutiones tradidiſſe ſtipendio argenteorum X. ſcribit Ingulſus de Comitibus.

MCCCCLXXI.

Angelus de Ubaldis Peruſinus, *Angeli* Senioris nepos, Eques, & Comes Palatinus, hoc anno in Gymnaſio docebat. Quadriennio poſt primam Juris Civilis ſcholam obtinuit *Cepollæ* ſuffectus. Pancirolus l. 2. c. 7. ſcribit, *Angelum* in patria Academia poſtremam ætatem egiſſe, ibique mortuum eſſe anno circiter MCCCCXC.

Jo. Maria de Ferraria ſuffectus fuerat IV. id. jul. *Alexandro Imolenſi*, ſed quatriduo poſt dimiſſus eſt.

MCCCCLXXII.

Antonius Turchettus Patavinus familiæ poſtremus, vir non Juriſprudentia ſolum, ſed etiam eloquentia clarus, de quo multa Scardeonius, & ex eo Papadopolus. Conjicitur ab iis in ſæcu-

ſæculum proximum, ſed multo ante docere cœpit. Hoc anno promovit ad Lauream Juris Civilis *Comitem de Alvarotis*, & orationem habuit civitatis nomine de laudibus Nicolai Troni Ducis Venetiarum recens electi. Erat autem ex Profeſſoribus pomeridianis: ſiquidem habemus ex Actis, eum anno ſæculi proximi primo ſcholaſticum annum auſpicatum fuiſſe pridie non. nov. hora vigeſima prima. Obiit quadriennio poſt XVIII. kal. oct.

Comes de Alvarotis hoc anno electus eſt ad ſcholam Juris Canonici tertiam. Poſtea ad Jus Civile translatus eſt. Apud Mantuam n. 81. dicitur *Jacobi* junioris pater. Eodem anno *Sigiſmundus Capiliſtius* Patavinus conductus eſt VI. id. mart. ad locum tertium Juris Civilis argenteis X. Sed anno ſæculi proximi nono Jus Canonicum tradebat, ut colligitur ex veteris Laureæ diplomate apud Monteroſſum. p. 28.

MCCCCLXXIII.

Franciſcus Molinus Venetus electus eſt IV. non. aug. ad eam, quæ *Lectura Univerſitatis* dicebatur, aſſignato ſtipendio argenteorum X. Patavini duo *Nicolaus de Dondis ab Horologio*, & *Franciſcus a Lignamine* inveniuntur inter Juris Civilis Promotores. De primo nihil amplius conſtat; ſed alter profeſſus re vera eſt ex loco tertio, quem tamen non diu tenuit. Succeſſit enim anno proximo in locum ejus *Jacobus Spinellus* Neapolitanus, Belfortis filius. Eodem anno XV. kal. jul. electus eſt ad Decretum explicandum *Hieronymus Barbarus* Venetus, & affertur hoc titulo inter teſtes examinis Danielis ab Aqua.

MCCCCLXXIV.

Petrus Franciſcus de Tomaſiis Ravennas ex Piſanis ſcholis ad Jus Canonicum Patavii profitendum hoc anno conductus

eſt

eſt argenteis octogenis, & in Collegium ſtatim admiſſus. In decreto Senatus poſtridie non. maj. MCCCCLXXXIV. mirifica ejus laudatur memoria, a qua modo *Petrus a memoria*, modo *Franciſcus a memoria* vocitari conſuevit, eique ſtipendium augetur ad argenteos CL. Quadriennio poſt cum ob æs alienum latitaret, creditoribus ejus ſatisfactum eſt anni proximi ſalario in anteceſſum ſoluto. Anno MCCCCXCII. additi ſunt ſtipendio ejus argentei L. cum ſcholam ſecundam Juris Canonici pomeridianam teneret; idque factum dicitur in Senatus decreto ob multitudinem liberorum ejus. Sed anno MCCCCXCVIII. in Pomeraniam ſe contulit, ſecutus una cum Vincentio filio Bugislaum ejus provinciæ Ducem, bona Venetorum venia, ut conſtat ex Ducalibus Auguſtini Barbadici litteris, in quibus merita ejus deſcribuntur, & ſchola redituro ſervatur. Ibi Jus utrumque per annos quatuor profeſſus eſt. Poſt ad Wirtburgenſem Academiam migravit, accitus a Friderico III. Saxoniæ Electore, ejus Academiæ domino & auctore. Invitatus eſt etiam a Daniæ Rege: ſed obiit non multo poſt. De illo Pancirolus, Paſolinus de Doctor. Ravennat. Papadopolus, Fabricius in Biblioth. med. & inf. æt. & alii: ſed ex uno quidam duos faciunt, quidam plures. Libellum de Arte memoriæ ſcripſit Venetiis editum anno MCCCCXCI. cujus titulus eſt, *Fœnix Domini Petri Ravennatis memoriæ magiſtri*. Decem chartulis conſtat, quarum quinque poſtremis ſuas ipſe laudes complexus eſt.

MCCCCLXXV.

Franciſcus Brevius Venetus hoc anno, ut ſcribit Riccobonus, Jus Pontificium tradere cœpit. Triennio poſt inter Collegii Doctores relatus eſt. Poſtea Romam ſe contulit, ubi ſacræ Rotæ Judicibus adſcriptus eſt; ſubinde vero anno MCCCCXCVIII. ad regendam Eccleſiam Cenetenſem miſſus. Mantua ſcribit, eum floruiſſe anno MCCCCLXXVIII.

Me-

Memorat illum etiam Pancirolus l. 3. c. 44. aitque poſt *Brevium* docuiſſe *Dionyſium de Franciſcis* anno MCCCCLXXXIII. de quo mox dicam. Edidit *Paſtorales Conciones*, & *Morales quæſtiones ex Jure Canonico*, obiitque anno MDXIV.

MCCCCLXXVI.

Hoc demum anno Feudorum doctrina tradi ex profeſſo in Gymnaſio cœpit, ſcholaribus Germanis per Univerſitatis Rectorem enixe petentibus, novæque ſcholæ regimen *Angelo Buzzacareno* Patavino commiſſum eſt ſtipendio argenteorum XXV. Paucis poſt annis ſenectutem cauſſatus vacare maluit; obiitque III. kal. jun. MCCCCLXXXVI.

Per idem ævi ſpatium *Paſchalinus* inclaruit *de Maſtellariis* Patavinus, magni nominis Profeſſor, qui tota deinceps vita docuit; &, cum obiit anno tertio ſæculi proximi, funus ejus ornarunt ipſi quoque civitatis Rectores, & Juriſconſultorum Collegium totum, ut narrat Monteroſſus in Ephemerid. menſ. mart. p. 72.

MCCCCLXXVII.

Bernardus Buzzacarenus Patavinus non in patria modo, ſed in aliis etiam Academiis Jus utrumque profeſſus eſt, ut ſcribit Scardeonius. Hoc anno certe apud nos erat, & inter Promotores III. kal. jul. recenſetur: niſi forte ad honorem factum eſt.

Dionyſius de Franciſcis Venetus a Riccobono refertur hoc anno inter Juris Profeſſores. Porcellinus eum memorat anno MCCCCLXXXIII. pluresque annos docuiſſe ſcribit.

Leoncllus Bradiolus Patavinus hoc anno VII. kal. jul. inter Juris Civilis Promotores invenitur. Poſtea tamen ad Jus Canonicum tranſiit: nam anno MCCCCLXXXIII. Sextum & Clementinas interpretabatur ex loco tertio, ut eſt in Tabularii Fiſcalis Codice C.

Jaco-

Jacobus a Sole Patavinus cum ab anno MCCCCLVIII. inter legum Doctores & Judices eſſet, v. non. jul. hujus anni promovit ad Juris Civilis Lauream Hieronymum Grompo. Dubium tamen, num doceret. Idem judicium ferendum de *Alexandro*, & *Aloyſio* gentis ejuſdem, qui inter Promotores reperiuntur anno MCDXCII. & ſequenti. Gliſcente in dies magis Feudorum ſtudio, aperta eſt ſchola altera, & ad eam regendam *Alphonſus de Regno* electus eſt ſtipendio argenteorum X.

MCCCCLXXVIII.

Jo. Antonius Panteus Veronenſis Græce Latineque doctus Jus Pontificium per hos annos in Gymnaſio explicuit. Poſtea ab epiſtolis fuit Hermolao Barbaro Epiſcopo Tarviſiano, & ejus Eccleſiæ Canonicus. De ejus vita & ſcriptis Maphejus in Verona illuſtr. l. 3. p. 109.

MCCCCLXXIX.

Bartholomæus Socinus Senenſis, *Mariani* filius, de quo plurima Pancirolus, Mantua, & Papadopolus, hoc primum anno invitatus eſt ad ſcholam ordinariam Juris Civilis pomeridianam, cum Piſis doceret: ſed fruſtra. Decem poſt annis rurſus arceſſitus eſt, oblatis argenteis amplius millenis; quod juventus omnis ad eum audiendum, ubicunque eſſet, convolaret: ſed ne tunc quidem conditionem accipere potuit ob eam cauſſam, quam affert Brancacinus de Jure Doctor. l. 1. c. 6. n. 11. Tandem anno MCCCCXCVIII. conductus eſt argenteis centenis ſupra mille, datis præterea mutuis in anteceſſum trecentis, additoque Collegii jure, & loco ſupra Profeſſores omnes conceſſo. Hinc ſchola hæc ſibi poſtea uſurpavit, quod homini conceſſum fuerat. Tot tantiſque conditionibus retineri tamen non potuit ultra triennium. Obiit in

patria anno MDVII. A Porcellino in notis ad matriculam dicitur *ſubtilitatum pater & princeps*. De illo & patre ejus Gribaldus,

Socinos venerare ſacri duo lumina Juris:
Jus geminum illuſtrant filius, atque pater.

Vide Fabruccium T. 34. Opuſcul. p. 213.

MCCCCLXXX.

Joannes Ubaldinus S. Danielis Abbas, *Petrus de Montaneana* Prior Cœnobii Carcerum, *Joannes* Prior Cœnobii S. Benedicti; *Hieronymus* Prior S. Mariæ de Porciliis, Decreti interpretes ad hæc tempora referuntur a Pancirolo l. 3. c. 28. *Petrus* autem *de Montaneana* dicitur Epiſcopi Vicarius in ſchedis Monteroſſi.

MCCCCLXXXI.

Michael Miliaria junior hoc anno ſcholam obtinuit Juris Civilis extraordinariam ſtipendio argent. C. Poſt annos ſeptem confirmatus eſt, additis argenteis tricenis. Laudatur a Scardeonio p. 177.

MCCCCLXXXII.

Paullus de Oriano Brixianus pridie id. nov. electus eſt ad ſcholam Juris Civilis extraordinariam ab Univerſitate, & confirmatus ad biennium decreto Senatus, attributis argenteis CCCC. cunctiſque honoribus conceſſis, quibus antea fruebatur *Petrus de Soncino*, qui eamdem ſcholam tenuerat. Anno MCCCCLXXXVIII. IX. Kal. april. admiſſus eſt in Collegium, ſed eodem anno deceſſit, ut colligitur ex decreto Senatus III. id. oct. Papadopolus ex Pancirolo ſcribit, eum poſt *Jaſonem* docuiſſe per annos vigintiquinque, multaque ſcripſiſſe, quæ recenſet in T. I. p. 236.

MCCCCLXXXIII.

Joannes Campegius Bononienſis, Cardinalis Campegii pater, prid. id. febr. electus eſt ad ſcholam ordinariam Juris Civilis loco *Petri de Soncino* jam defuncti, aſſignatis argenteis CCCCL. Advenienti expectatione ſumma obviam itum non a ſcholaribus modo, ſed a Rectore quoque, & Profeſſoribus. Quidam addunt ipſos quoque urbis Moderatores. Triennio poſt, ne abiret, quod minabatur, additi ſunt ſtipendio ejus argentei CL. Attamen paullo poſt in patriam rediit. Anno MCCCCLXXXVIII. cum *Jaſon Maynus*, qui locum primum occupabat, abire voluiſſet, revocatus eſt *Campegius* argenteis millenis ad quinquennium. Ad eum deducendum Rector cum ſtudentibus quinquaginta Bononiam profectus eſt. Abſoluto quinquennio, confirmatus eſt, additis argenteis CC. Attamen anno ſæculi proximi quarto rurſus diſceſſit non ſine magna Gymnaſii jactura, ut colligitur ex decreto Senatus VII. Kal. nov. ejuſdem anni. De illo Pancirolus l. 2. c. 133. Mantua n. 170. ſcribit *Laurentium* quoque ejus filium, qui poſtea Cardinalis fuit, in Patavinis ſcholis docuiſſe. Papadopolus addit, per annos decem.

Franciſcus de Rubeis Patavinus poſtridie non. oct. electus eſt ad tertiam Sexti & Clementinarum ſcholam, cum jam ſenex eſſet, diutiſſime inter Judices verſatus. In ejus Collegii Actis dicitur *Legum Doctor elegantiſſimus*.

Bertuccius Bagarottus Patavinus hoc anno docere cœpit, cum ſuperiore in Juriſconſultorum Collegium fuiſſet admiſſus. Anno MCCCCXCVIII. pridie non. dec. commiſſa illi ſchola eſt *Antonii Franciſci de Doctoribus*, eodem ſalario, iiſdemque honoribus attributis. Anno primo ſæculi proximi progreſſus eſt ad ſcholam Juris Civilis veſpertinam: ſed poſt annum translatus eſt ad Decretum. Anno MDVI. XVI. Kal. ſept. electus eſt ad ſcholam primam Juris Canonici pomeri-

 dia-

dianam, quam tenuit argenteis CCXXV. uſque ad juſtitium anni MDIX. quo anno occupata urbe ab exercitu Maximiliani Imperatoris, in communi clade ipſe quoque periit, ut ſcribit Scardeonius p. 188.

MCCCCLXXXIV.

Galionæus Buzzacarenus Patavinus invenitur inter Promotores Juris Civilis IX. Kal. mart. iterumque ac ſæpius uſque ad annum MCCCCXCII. Inveniuntur etiam *Alexander de Magis* Baſſanenſis, *Jo. Antonius de Chizzolis*, & *Petrus de Leone* Patavini. Utrum omnes, an ſaltem eorum aliqui inter Profeſſores fuerint, in incerto eſt.

Caſpar Urſatus, *Antonii* frater natu minor, Juris Civilis Profeſſor veſpertinus docuit annos vigintiquatuor; ſed urgente ſenectute ſcholam dimiſit, ut eſt apud Mantuam n. 112. Attamen etiam anno ſextodecimo ſæculi proximi adhibitus eſt ad promovendum.

MCCCCLXXXV.

Antonius Capiliſtius Lauream contulit Petro Dandulo Protonotario Apoſtolico, & Eccleſiæ S. Marci Primicerio; *Bartholomæus a Flumine* Joanni filio: ſed uterque fortaſſe ex Collegii gratia.

Jaſon Maynus origine Mediolanenſis, Piſauri natus, Comes, & Eques, hoc anno IV. kal. jul. accitus eſt ex Gymnaſio Papienſi ad ſcholam Juris Civilis ordinariam aureis DCCC. & in Collegium admiſſus. Sed triennio poſt pridie id. nov. diſceſſit illectus a Florentinis ſtipendio florenorum M. Nec tamen diu apud eos fuit, ſed anno MCCCCXCI. Ticinum migravit, quo traxiſſe dicitur ſcholarium ferme tria millia. Quinquennio poſt XVI. kal. jul. Patavium revocatus eſt ad ſcholam primam Juris Civilis pomeridianam

aureis

àureis millenis. Sed iterum abiit, evocante Ludovico Sfortia, ut Ticini profiteretur, ubi Ludovicum XII. Gallorum Regem, quinque Cardinalibus, & proceribus centum comitatum, inter auditores habuit. Gravis fuit illi antagoniſta *Philippus Decius*, alter veluti reipublicæ Juriſconſultorum Conſul, quicum non verbis modo certavit, ſed ex occurſu fortuito etiam manibus. Mortuus eſt admodum ſenex anno MDIX. Poſtremi de illo ejuſque operibus ſcripſere Fabricius, Argelatus, Niceronus; nec tamen omnes de ejus migrationibus ſibi inter ſe conveniunt. Vide Jovium in Elogiis p. 125. ubi & effigiem habes.

MCCCCLXXXVI.

Jo. Antonius Saccus publice docuit per dies quindecim, & Jus Canonicum explicuit ad ingenii experimentum: tum conductus eſt ad biennium argenteis CCC. *Gallianus quoque Ancharanus*, & *Galeatius Gurges* Vicetini inter clariores Juris Civilis Profeſſores referuntur a Tomaſino, & per hæc tempora floruiſſe dicuntur.

Bartholomæus de Urbino Patavinus, qui a Pancirolo dicitur *Bartholomæus Paternus Urbinas*, cum Jus Civile extra ordinem interpretaretur argenteis denis, hoc anno XIII. Kal. nov. obtinuit præterea XX. quod augmentum perſonæ, non ſcholæ conceſſum dicitur in Senatus decreto. Anno primo ſæculi proximi translatus eſt ad ſcholam ſecundam Juris Canonici pomeridianam ſtipendio argenteorum XC. quam tenuit uſque ad nonum. Reſtituto Gymnaſio anno MDXVII. revocatus eſt argenteis CL. augendis poſt annum ad CC. addita etiam ſpe loci primi, quem obtinuit anno MDXIX. Obiit equo dejectus anno MDXXVIII.

MCCCCLXXXVII.

Franciſcus Melchioſtrus Parmenſis Jus Civile per hos annos publi-

publice explicuit, ut refert *Antonius Porcellinus* primum diſcipulus ejus, deinde collega; perrexitque uſque ad annum MDVII. quo ſicarii manu nocte domum rediens interemptus eſt. De illo Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 231. ubi nonnulla etiam ab eo ſcripta referuntur.

Alexander Papaſava Juris Canonici Profeſſor extra ordinem, ut refert Porcellinus. Ex Actis conſtat, ſcholam Decreti tertiam anno MDII. ab eo valetudinis cauſſa fuiſſe dimiſſam. Attamen anno ſæculi nono adhuc inter Promotores invenitur. Obiit anno MDXIX.

MCCCCLXXXVIII.

Jo. Franciſcus Muſſatus a Scardeonio dicitur Juris utriuſque conſultus, ſed Pontificii interpres. Ingruente bello anno ſæculi nono, ſcholam dimiſit. Eodem tempore florebat *Hieronymus de Ponte*, quem quidam Profeſſorem faciunt. Certe inter Juris Civilis Promotores reperitur III. Kal. febr. hujus anni.

MCCCCLXXXIX.

Antonius Corſettus Siculus cum primam Juris Canonici ſcholam teneret magna utique fama, ſtipendio autem argent. CCC. oblati illi hoc anno ſunt præterea quinquageni, quos noluit accipere, ne ſibi abeundi arbitrium accipiendo præcideret. Manſit tamen. Biennio autem poſt decreti ſunt illi centeni, conditionemque accepit, data docendi fide ad quadriennium. Eodem anno exeunte ſeptembri auctum eſt ſtipendium ejus ad quingenos, ut ſororibus conſulere poſſet, eaſque recte collocare. Perrexit uſque ad ſæculum proximum. Plura de illo Mantua n. 46. & Papadopolus T. I. p. 237.

MCCCCXC.

MCCCCXC.

Comes Alvarotus duorum Profeſſorum pater, *Jacobi* junioris, & *Alvaroti de Alvarotis*, hoc anno floruiſſe dicitur inter Profeſſores, apud Mantuam n. 81. *Antonius Borromeus* Eques, & Comes, non in Jure modo, ſed in Artibus quoque, & in ſacra Theologia probatus, hoc anno Jus Pontificium explicuiſſe fertur ex loco tertio ſcholæ matutinæ, quadriennio autem poſt ex loco ſecundo. Obiit anno MDIX. & quædam etiam ſcripſit, ſed de rebus Theologicis. De illo Papadopolus T. I. p. 232.

MCCCCXCI.

Chriſtophorus de Albericis Papienſis electus eſt ad ſcholam Juris Civilis pomeridianam argenteis CCCL. cum fruſtra invitatus fuiſſet Antonius Palmerius ex Gymnaſio Neapolitano, propoſito ſtipendio argent. DC. Statim poſt annum additi ejus ſalario ſunt argentei centeni. Anno MCCCCXCIII. xv. Kal. nov. translatus eſt ad ſcholam ſecundam Juris Civilis matutinam, aucto ſtipendio ad argenteos DC. additaque etiam beneficii nomine, ut apparet ex decreto, facultate diſputandi quotidie per horam integram cum *Campegio* antagoniſta ſuo. Illud etiam obtinuit, ut Bidellum ipſe ſibi pro arbitrio eligeret, quod antea *Campegio* conceſſum fuerat. Sed anno MCCCCXCVIII. pridie non. dec. repente diſceſſit. Anno primo & ſecundo ſæculi proximi actum eſt de illo revocando, qui tandem conditionem accepit ad triennium. Anno MDIV. ad primam ſuæ claſſis ſcholam progreſſus eſt, dato illi collega & antagoniſta *Hieronymo Butigella*. Biennio poſt rurſus abiit, indignatus quod non tantum ſibi tribueretur, quantum loci & perſonæ dignitas poſceret, ut ſcribit Mantua n. 76. De illo plura Mazzucchellus.

Jo.

Jo. Antonius Ungarellus pridie id. jan. electus eſt ad ſcholam tertiam Juris Civilis meridianam, quam tenuerat *Jacobus de Leone*.

MCCCCXCII.

Ludovicus de Scledo Vicetinus cum tertiam Inſtitutionum ſcholam teneret argenteis X. hoc anno obtinuit præterea vicenos, qui in decreto Senatus IV. Kal. mart. attributi dicuntur non ſcholæ, ſed homini. Ad primam ejuſdem Claſſis *Aloyſius de Albertis* Veronenſis deſignatus, lauream cepit XI. Kal. jun.

MCCCCXCIII.

Marcus Antonius Baverius, al. *Baviera*, Bononienſis ad Jus Civile veſpertinum VII. id. ſept. conductus eſt argenteis CCL. & ſtatim Collegio adſcriptus. Sed triennio poſt dimiſſus eſt, ſuffecto in ejus locum *Antonio Urſato*. Anno MCCCCXCVIII. pridie id. ſept. revocatus eſt, aſſignata illi ſchola prima Juris Canonici pomeridiana eodem ſtipendio argent. CCL. Dictus eſt *Subtilis Doctor*.

MCCCCXCIV.

Bernardus Gil Valentinus, qui anno ante Rector fuerat, & magnam ingenii ſui expectationem moverat, III. non. ſept. eligitur ad locum tertium Juris Civilis pomeridianum ſtipendio argent. CXX. qui locus ejus gratia conſtitutus eſt ea conditione, ut tolleretur, cum primum ſchola aliqua ex primariis, vel ſecundariis vacaret, ad quam *Bernardus* traduceretur.

Jo. Georgius Brandiſius Vicetinus ætate adhuc viridi Jus Civile interpretatus eſt uſque ad annum MDIX. & commentarios edidit Inſtitutionum. Mantua n. 63.

Bernardinus Spazzarinus, *Raphael Savonarola*, *Daniel de*

Leone,

Leone Patavini referuntur inter Promotores, primus Juris Civilis III. Kal. febr. ſecundus Juris item Civilis III. id. mart. tertius Juris Canonici XIII. Kal. nov. Utrum vero etiam inter Profeſſores eſſent, incertum. Idem dicendum de *Joanne Buzzacareno*, de *Nicolao a Flumine*, de *Julio Tolentino*, qui hoc anno promovendi jure uſi ſunt. *Tolentinus* autem a Porcellino *magnus Practicus* dicitur *in maleficiis maxime*.

MCCCCXCV.

Petrus Canis, *Jo. Jacobi* filius, hoc anno docebat argenteis LX. quibus additi ſunt triennio poſt quadrageni. Anno ſæculi proximi altero IV. Kal. maj. a prima Decretalium ſchola pomeridiana ad Decretum translatus eſt, petente Theobaldo Univerſitatis Rectore, ut ſcholæ ad Profeſſorum ingenia vireſque accommodarentur. Anno MDVI. cum vivere deſiiſſet, ſchola ejus cum aliis pluribus ſublata eſt.

MCCCCXCVI.

Bernardus Tizzonus Ravennas affertur inter teſtes examinis & Laureæ Vincentii Tuſci, & dicitur Legum Profeſſor.

MCCCCXCVII.

Comes Hercules de S. Bonifacio, & *Georgius Buzzacarenus* pridie id. april. afferuntur inter Promotores ad Juris Civilis Lauream Jacobi, & Alvaroti fratrum de Alvarotis. Atque *Hercules* quidem ſcholam tertiam Juris Civilis tenebat, ut colligitur ex Actis anni ſequentis; quo anno etiam *Chriſtophorus Zarottus* Inſtitutionum Civilium interpres dicitur in examine Balthaſſaris Sarisburienſis.

MCCCCXCVIII.

Hieronymus de Barbarano Vicetinus electus eſt XVII. Kal. oct. ad ſcholam Decreti ſecundam, quam *Bonomus de Luſchis* ejus civis dimiſerat. Menſe autem anni ultimo *Franciſcus Parma*, cognomine a patria ducto, accitus eſt ſtipendio argent. CL. ad ſcholam ſecundam Juris Canonici pomeridianam, quam tenuerat *Petrus Franciſcus de Tomaſiis*. Hic porro triennio poſt translatus eſt ad ſcholam Juris Civilis ordinis ejuſdem, cum *Carolus Ruinus* magnus in primis diſputator, eique propterea infeſtus, primam regeret. Anno MDIV. additi ſunt ſtipendio ejus argentei octogeni; ſed poſt annum MDVII. ejus nomen in paucis, quæ extant, Gymnaſii Actis non amplius apparet. Attamen & Pancirolus l. 2. c. 43. & Porcellinus in notis ad Matriculam ſcribunt, eum docuiſſe per annos duodecim. A famulo proditus & occiſus eſt, ut refert idem Pancirolus, & Mantua n. 100.

Alvarotus de Alvarotis junior, *Comitis* filius, admodum juvenis ad Jus Pontificium publice interpretandum electus eſt: ſed ex ſtudiorum æmulatione orta ſeditio, cædeſque Franciſci Freſchi eum coegit ſolum vertere. Romam igitur migravit, ubi Apoſtolicus Abbreviator creatus eſt, tum Canonicus primum Eccleſiæ Patavinæ, poſtea Romanæ S. Petri baſilicæ. Ibi mortuus eſt anno MDXVIII. De illo Scardeonius p. 140.

Aloyſius Diſcalcius Patavinus Juris Civilis Profeſſor ex loco tertio docuit uſque ad annum ſæculi proximi ſextum, quo ad Venetum forum ſe contulit, ibique conſenuit. Obiit in patria anno MDLIII. De illo Scardeonius, & Pancirolus l. 2. c. 196.

Hieronymus Juſtus Patavinus, ex Romana Curia accitus, docuit in patria per annos triginta. Pancirolus ſcribit l. 3. c. 53. eum ſenectuti proximum uxorem duxiſſe, unde ortus *Marcus Antonius*, qui ipſe quoque Jus Civile publice explicuit,

cuit, ut eſt apud Riccobonum l. 1. c. 12. Mortuus eſt anno MDXXVIII. Omittendi non ſunt *Jo. Andreas Ungarellus*, *Vincentius de Maſtellariis*, *Hieronymus de Miliaria*, *Albertus de Rubertis*, qui hoc anno inter Promotores inveniuntur, quamvis, num docerent, dubium ſit.

MCCCCXCIX.

Nicolaus Januarius Beneventanus, electus ad ſcholam Univerſitatis, XII. Kal. maj. cepit Lauream Juris Civilis.

Franciſcus de Faciis Salmatiæ Archipresbyter, hoc primum anno inter Juris Promotores reperitur. Quadriennio poſt commiſſa illi ſchola eſt Clementinarum & Sacramentorum, quæ jamdiu fuerat intermiſſa, ſtipendio argent. LXXX. Sed in ipſo ætatis flore poſt biennium obiit, rurſuſque ſchola clauſa eſt. De illo Pancirolus l. 3. c. 45. multa cum laude ſcribit; additque, *Auguſtinum* quoque fratrem ejus juniorem in Gymnaſio docuiſſe, ſed hunc ipſum immature præreptum anno MDXX. fatis ceſſiſſe. Atque *Auguſtini* quidem meminit etiam Monteroſſus de Prætor. Pat. p. 27.

Joannes de Triſſino Vicetinus electus eſt XIV. Kal. maj. ad Civiles primi loci Inſtitutiones, cum *Vincentius de Salodio*, qui ſcholam tenebat, diſceſſiſſet, ut eſt in Actis hujus anni p. 15.

Aloyſius de Ponte, al. *Pontanus*, Patavinus III. non. maj. electus eſt ad Decretalium ſcholam loci tertii. Anno ſequenti translatus eſt ad Inſtitutiones, & biennio poſt ad Jus Canonicum rediit. Scardeonius ſcribit, eum denique ad Venetum forum ſe contuliſſe.

M D.

Vincentius de Scledo ad Inſtitutiones ex loco primo explicandas electus eſt, ejuſque electionis gratia Lauream cepit v. id. jul.

Philippus Decius Mediolanenſis, princeps ſuæ ætatis Juriſconſultorum, ingenio præditus pugnaciſſimo, invitatus hoc anno eſt ex ſcholis Piſanis, ſequenti autem conductus florenis DC. ad ſcholam primam matutinam Juris Canonici, *Antonii Corſetti* loco. Poſt menſes paucos Collegio adſcriptus eſt, tenuitque locum uſque ad annum MDV. quo ad Ticinenſem, evocante Ludovico XII. Gallorum Rege, migravit Academiam florenis conductus bis millenis. Inde quoque diſceſſit poſt annos ſeptem, perque alias regiones vagatus, poſtremo in Piſano Lyceo conſedit. Sed vitam Senis clauſit anno MDXXXV. De ejus fatis & operibus, poſt Pancirolum & alios, ſcripſit Argelatus in Biblioth. Mediol. & Fabruccius in T. 37. Opuſcul. Venet. p. 24.

Jo. Baptiſta de Matarellis Ravennas, Juriſperitus idemque Philoſophus celeberrimus, Jus Civile in Patavinis ſcholis interpretatus eſt, ut narrat Paſolinus de Viris Illuſtr. l. 4. c. 2. & quidem per annos viginti, ſi homini fides, qui multa non ſatis conſiderate ſcripſit.

Cius de Lofredo Neapolitanus, electus ad primam Inſtitutionum ſcholam, XIII. kal. oct. Lauream cepit Juris utriuſque. Paucis autem poſt diebus eamdem cepit *Alexander de Ubertis* Venetus, electus ad ſcholam Univerſitatis per biennium regendam; cum eam dimiſiſſet *Leontius de Aviano*.

MDI.

Albertinus de Zocchis, & *Martinus de Maſtellariis*, Patavini, quod inveniantur inter Juris Civilis Promotores, habiti ſunt etiam ab aliquibus Profeſſores; ſed utrum docuerint, in incerto eſt.

Gabriel de Peregrinis Veronenſis Inſtitutionum Profeſſor ex loco tertio electus eſt pridie id. nov. cui paullo poſt ſuffectus eſt *Philippus Vergerius*. Sed hic ipſe, nondum anno circumacto, ſcholam dimiſit.

Adria-

Adrianus Sandelicus Belga VII. Kal. dec. ſuffectus eſt *Bernardo Uſcono*, qui ſcholam tenebat Univerſitatis ſecundam.

Jacobus Alvarotus junior pridie Kal. dec. electus eſt ad ſcholam primam Juris Civilis meridianam, quam deſeruerat *Bartholomæus Urbinas*. In Rotulo anni MDVI. occupat ſcholam Sexti ſtipendio florenorum C. quam tenuit uſque ad Juſtitium proximum. Poſtea Ferrariæ docuit, ibique mortuus eſt anno MDXLVI. De illo Scardeonius p. 164.

Carolus Ruinus Regienſis in Piſana Academia, ubi Doctoris nomen & Lauream adeptus fuerat, Juris ſcholam extraordinariam regere cœpit anno MCCCCLXXXIV. Quinquennio poſt ad Ferrarienſem migravit; unde poſt annos decem recedendi veniam cum impetraſſet ad biennium, eodem poſtea reverſus perrexit uſque ad ſæculi finem. Toto fere anno ſæculi ſextidecimi primo vacavit valetudinis cauſſa; ſub anni autem exitum Patavium venit, ubi cum docere extra ordinem aggreſſus eſſet, theſes ex univerſa Juriſprudentia publice defendendas propoſuit. Ex hac ſibi concertatione tantum laudis comparavit, ut ad hoſpitium ſuum honoris gratia ab Univerſitate tota deductus ſit. Itaque pridie non. dec. conductus eſt ad primam Juris Civilis ſcholam pomeridianam argenteis Venetis quingenis, qui anno MDVI. III. non. jul. aucti ſunt ad DCCC. Docuit uſque ad annum ſæculi nonum, quo cum intermiſſa belli cauſſa ſtudia eſſent, rurſus Ferrariam petiit, primamque Juris Civilis ſcholam libellis bis millenis regendam accepit, tenuitque uſque ad annum MDXIV. Hoc demum anno operam ſuam Bononienſibus locavit, & apud eos reliquum ætatis exegit ſtipendio aureorum MCC. fama autem doctrinæ tanta, ut auditores haberet interdum ſexcentos, quemadmodum refert Pancirolus l. 2. c. 143. De illo, ejuſque operibus poſt alios multos Papadopolus T. I. p. 240. qui levi conjectura ductus arbitratur, *Ruinum*, inſtaurato poſt bellum Gymnaſio, ad nos rediiſſe. Vide Fabruccium T. 44. opuſcul. Venet. p. 73.

Jo.

Jo. Baptiſta de Monte Vicetinus ſcholam Juris Civilis meridianam civi ſuo ceſſit *Friderico de Porto* , ipſe autem ad Sexti & Clementinarum ſecundam progreſſus eſt , quam tenuerat *Hieronymus Lana* Brixianus.

Antonius Zaccus Patavinus ex ſecunda Inſtitutionum ſchola VI. Kal. maj. ad primam translatus eſt , & quidem admodum juvenis . Immatura morte præreptus eſt anno MDV. pridie Kal. mart. Ab eo *Marcus Mantua* , ut ipſe ſcribit , prima juris rudimenta cepit.

Auguſtinus Terrinus Veronenſis ad ſecundam Inſtitutionum ſcholam conductus eſt VI. Kal. maj. eodemque tempore *Hieronymus Pontius* Bergomas ſcholam Univerſitatis dimiſit , ut ipſe quoque ad Inſtitutiones transferretur. Translatus eſt autem anno ſequenti.

Jo. Baptiſta de Tienis Vicetinus ad ſcholam Decreti tertiam ab Univerſitate electus eſt VI. Kal. jun. cum ante Subſtituti nomine eam tenuiſſet non ſine laude.

MDIII.

Octavius Martinengus Brixianus ad tertiam electus eſt Inſtitutionum ſcholam , abdicante *Philippo Vergerio* : *Almericus* autem *Valmarana* Vicetinus ad ſecundam, ut eſt in Actorum Codice III. Indidem apparet , *Joannem Capram* Vicetinum civi ſuo *Antonio de Tienis* prid. id. nov. ſuffectum fuiſſe ad ſcholam regendam Juris Civilis meridianam.

Ludovicus Braynus Patavinus Presbyter electus hoc anno eſt XIII. Kal. dec. ad ſcholam Sexti tertiam , quod *Ludovicus Bradiolus*, qui eam tenebat, mortuus eſſet. Poſtea ad locum Juris Canonici ordinarium tranſiit , quem tamen cito deſeruit, ſeque Cathedrali Eccleſiæ addixit. A Porcellino dicitur *magnus Canoniſta* . De illo Scardeonius , & Mantua n. 178.

MDIV.

MDIV.

Antonius Porcellinus Patavinus VII. id. febr. electus eſt ad ſcholam primam Inſtitutionum loco *Leonardi de Plovenis*. Biennio poſt translatus eſt ad ſcholam primam meridianam Juris Civilis, quam tenuit uſque ad Juſtitium belli proximi. Anno MDXVII. rurſus evocatus eſt in Gymnaſium, ut primam Juris Civilis ſcholam extraordinariam regeret florenis LXX. Anno MDXXIII. Latina oratione gratulatus eſt Civitatis nomine Andreæ Grittio Venetiarum Duci recens electo, ab eoque Equitis titulum obtinuit. Sexennio poſt obiit, eo ipſo anno, quo orationem habuit ad novum Patavii Epiſcopum Aloyſium Piſanum. Notas ſcripſit ad illuſtrandam Profeſſorum matriculam, tum etiam ad matriculam Collegii. De illo Papadopolus T. I. p. 249.

Paullus Bradiolus ſenior, & *Comes de Alvarotis* referuntur inter Juris Civilis Promotores, ille quidem Hieronymi Grilli Tarviſiani, hic autem Odorici Bovii Feltrienſis. Portenarius autem ſcribit, *Comitem de Alvarotis* in ſchola floruiſſe Juris Civilis anno MDVIII.

Hieronymus Burigella Papienſis ex patrio Lyceo accitus VII. Kal. nov. ut ſcholam ſecundam Juris Civilis matutinam teneret ad quinquennium ſtipendio floren. CCCC. datis præterea paullo poſt ducentis ſubſidii titulo. Perrexit uſque ad Juſtitium anni MDIX. Poſtea Papiam rediit, addictuſque Ludovico XII. cum eo in Galliam profectus eſt. Poſtremo in Italiam cum rediiſſet, Romæ docuit uſque ad annum MDXV. quo mortuus eſt, ac de publico elatus, tota comitante funus Academia. Memoria valuit ſupra fidem, nec ingenium, aut doctrina defuit. De illo Pancirolus, & Papadopolus T. I. p. 235.

MDV.

MDV.

Feudorum ſcholam anno ſuperiore tenebat ſine collega *Franciſcus de Tomaſiis* Ravennas, ut in Actor. Cod. III. p. 13. Perperam ſumitur ab aliquibus pro *Petro Franciſco Tomaſio*, qui ſex ante annis in Germaniam profectus erat. Diviſa cum eſſet, ad locum primum conductus eſt idibus mart. *Michael de Avantiis* Veronenſis, ad ſecundam *Petrus de Malinvernis* Roboretanus loco *Matthæi Campionis* Brixiani, qui cum ad eam deſignatus fuiſſet, repente diſceſſit.

Joannes Speraindeo Siculus pridie non. jul. ab Univerſitate electus eſt ad ſcholam Clementinarum & Sacramentorum, quam tenuerat *Franciſcus de Faciis*, vitaque exceſſerat. Sed electionem Senatus non probavit, ſcholamque ipſam anno ſequenti clauſit.

Galianus de Ancharano Vicetinus hoc anno tenebat ſcholam ſecundam Juris Civilis meridianam, *Jacobi Alvaroti* junioris collega. Anno ſequenti cum *Alvarotus* ad Decretalium Sextum explicandum traductus eſſet, ipſe tranſiit ad primam.

MDVI.

Antonius a S. Leonardo junior Patavinus poſtridie id. mart. invenitur inter Promotores Franciſci Volpati Tarviſiani. Tenebat autem ſcholam tertiam Juris Civilis florenis XX. ut eſt in Tabulis Quæſtoriis.

Conradus Manlius de Buſco Papienſis VI. id. jun. ex patrio Gymnaſio accitus eſt ad ſcholam primam matutinam Juris Civilis florenis DC. docuitque uſque annum MDIX. A Marco Mantua dicitur *Conradus Buſcus*, ejuſque adventus biennio prævertitur.

Pandulfus Roni Germanus ad primam Decreti ſcholam electus eſt XVI. kal. ſept. Sed hoc ipſo anno ſublata ſchola eſt.

Anto-

Antonius Burgos Salmaticenſis ad Juris Canonici ſcholam primam matutinam v. kal. april. accitus eſt, florenis oblatis quadringenis. Poſt controverſias quaſdam cum *Antonio Franciſco de Doctoribus* locus illi confirmatus eſt decreto Senatus, & Collegii jus paucis poſt menſibus conceſſum. Poſtea ſe ad Bononienſe Gymnaſium contulit, atque inde Romam, ubi Utriuſque Signaturæ Referendarius creatus eſt. Deceſſit in urbe illa anno MDXXV. cum Commentaria ſcripſiſſet in titulos *de Conſtitutionibus*, *de Reſcriptis*, *de Judiciis*, *de Emptione ac Venditione*. Hoc autem poſtremo ait Papadopolus, idoneus harum rerum judex, eum ſibi immortalitatem adeptum eſſe.

Gofredus de Curte cum electus fuiſſet ad ſcholam ſecundam Juris Civilis meridianam, paullo poſt abdicavit, ſuffectuſque eſt *Gratiadeus de Cazzaghis* Brixianus. Eodem tempore *Thomas de Licio* ad ſcholam Sexti ſecundam deſignatus eſt.

Arcuanus Buzzacarenus Inſtitutionum interpres ex loco primo perrexit uſque ad nonum ſæculi annum, quo anno, ut eſt in tabulis Quæſtoriis, docebat ſtipendio florenor. L. Juvenis ſummæ expectationis cum eſſet, inquit Scardeonius, immatura morte præreptus eſt. Memoratur etiam a Marco Mantua n. 26. & dicitur *Antonio Zacco* ſucceſſiſſe.

Antonius Zilius Tridentinus ad Inſtitutionum ſcholam ſecundam electus eſt loco *Franciſci Vulpati*, qui eam ſponte dimiſit, ut eſt in Actorum Cod. IV.

Marſilius Papafava XIV. kal. ſept. collocatus eſt in ſecunda Feudorum ſchola, ſublata prima decreto Senatus. Anno circumacto, Feuda deſeruit, non tamen Gymnaſium, in quo docuit etiam poſt bellum uſque ad annum MDXXVIII. quo extinctus eſt admodum juvenis, ut ſcribit Scardeonius.

Inclinante anno, commiſſa eſt ſchola Univerſitatis *Jacobo Anconitano*, ſubinde autem *Petro Trambachino* Artis Notariæ locus primus, *Zaccbariæ de Rhodigio* Tres Codicis libri,

Hieremiæ Luſitano Autentica, *Julio Romano* Sextus & Clementinæ. Nullus eorum fama carebat.

MDVII.

Franciſcus Argenta Cremonenſis pridie id. aug. Clementinas loco *Julii Romani* explicandas ſuſcepit; eodemque tempore *Jo. Antonius Chizzola* Brixianus ad ſcholam ſecundam Juris Civilis meridianam electus eſt loco *Chriſtophori Bonvicini*, qui oblatam accipere noluit; *Jo. Maria de Geniis* Tarviſianus ad Inſtitutiones; *Joannes de Cantiana* Romanus ad Feuda *Marſilii Papafavæ* loco; *Antonius de Saliniis* Burgundio ad ſcholam Univerſitatis; *Chriſtophorus Parmenſis* ad Artem Notariam; *Jo. Baptiſta de Macerata* ad Tres Codicis libros; *Jacobus de Tarento* ad Autentica; *Vincentius de Tinctoribus* ad primum Decreti locum; *Vincentius de Garzatoribus* ad ſecundum, quem tenuerat *Bernardinus Lana*. Turba videri poteſt, ſi numerus ſpectetur: nec ſane omnes eminebant. Aliquibus deerat exercitatio; ſed ob idipſum aſſiduitas inerat, & æmulandi cura major.

MDVIII.

Antonius Bagarottus Patavinus kalendis Maiis primam Decreti ſcholam regendam ſuſcepit loco *Vincentii de Tinctoribus*. Exorto bello, ſecutus eſt Maſſimilianum Imperatorem, & poſtea Carolum V. a quibus Equeſtri dignitate, & Conſiliarii titulo ornatus eſt. Obiit Mediolani anno MDLV.

Joannes Seranus Siculus eodem anno ad Inſtitutiones interpretandas electus eſt poſt *Jo. Mariam de Geniis*; *Joannes Velo* Vicetinus ad locum ſecundum Juris Civilis meridianum poſt *Jo. Antonium Chizzolam*, *Marcus de Soncino* ad tertium poſt *Aloyſium Diſcalcium*: quorum ſcholis pro modo temporum, quæ jam turbari cœperant, non defuit frequentia.

MDIX.

MDIX.

Georgius Cavallinus Patavinus tertiam Sexti & Clementinarum ſcholam obtinuit ſtipendio floren. XX. In notis Porcellini ad Collegii matriculam docuiſſe dicitur per annos decem, videlicet poſt bellum .. Vacavit tamen aliquandiu valetudinis cauſſa, nec vixit ultra annum MDXXVIII. ut ſcribit Scardeonius. Eodem ferme, quo *Cavallinus*, tempore *Jacobus de Villabruna* conductus eſt ad ſcholam ſecundam Juris Civilis meridianam florenis tricenis, *Leonardus Martinengus* florenis totidem ad ſecundam Inſtitutionum, *Stephanus de Prato* ad tertiam Juris Canonici extraordinariam vicenis: tres autem, qui ſequuntur, denis tantum, *Ant. Maria de Soncino* ad Feuda eorumque uſus, *Joannes de Mulgia* ad ſcholam Univerſitatis, *Joannes de Ancona* ad Artem Notariam. Ipſe quoque *Jacobus Zabarella* Eques hoc anno Jus Civile tradebat, & præſtare ceteris credebatur. Sed ne *Joannes* quidem *de Ancona*, tantulo ſtipendio conductus, inter poſtremos erat, ſi modo eſt idem, qui *Summam* ſcripſit *ſuper Jus Canonicum*, & florere cœpit ante annum MCDLXXXV. ut putat Mazzuchellus Vol. I. p. 688.

Hoc ipſo anno incepit Juſtitium propter bellum; ſiluitque Gymnaſium uſque ad annum ſæculi decimum ſeptimum. Attamen ne hoc quidem tempore defuit, qui privatim doceret, atque ad honores ſcholaſticos contendentibus operam navaret, patentibus pro illo rerum ſtatu & Juris, & Artium Collegiis. Itaque in Actis Curiæ Epiſcopalis examina referuntur ad Lauream obtinendam inſtituta, & Promotores recenſentur, anno ſequenti pridie Kal. mart. *Bartholomæus de Urbino*, *Georgius Cavallinus*, *Marſilius Papaſava*, & *Antonius Saviolus*, IX. kal. jun. *Jo. Baptiſta Roſellus*, & *Daulus Doctus*, X. kal. jan. *Nicolaus Bariſonus*, & *Ludovicus de Galeatiis*. MDXI. pridie id. jan. *Martinus de Maſtellariis*, III.

id. febr. *Julius Tolentinus*, XIV. kal. april. *Antonius Maria de Soncino*, nonis jul. *Jacobus Zabarella*, & *Stephanns a Prato*, pridie non. oct. *M. Antonius Campolongus*, III. kal. jan. *Sigiſmundus Capiliſtius*. MDXII. idib. dec. *Jacobus Zabarella*, *Bartholomæus de Urbino*, & *Antonius Porcellinus*, XVIII. kal. jan. *Hieronymus de Doctoribus*, & *Marcus Pratenſis*, XVI. kal. jan. *Ludovicus de Rugeriis*, & *Bonamicus de Baſſano*, qui Antonium filium promovit. MDXIII. III. id. jan. *Joannes Leoniſſa*, pridie kal. febr. *Vincentius de Maſtellariis*, *Antonius a S. Leonardo*, *Hieronymus Tergulina*, & *Hieronymus Juſtus*. MDXIV. v. id. febr. *Antonius a Flumine*. MDXVI. poſtrid. kal. jan. *Marcus Mantua*, qui Lauream acceperat, & admiſſus in Collegium fuerat, gliſcente bello, VIII. kal. mart. *Caſpar Urſatus*, & *Ludovicus de Leone*; & alii præterea, qui, prolatis bello rebus, Gymnaſii ſpeciem retinebant.

RE-

RECTORES ARTISTARUM
AB ANNO MCCCCVI. VENETÆ DOMINATIONIS PRIMO USQUE AD JUSTITIUM ANNI MDIX.

ANnus hic MCCCCVI. inſignis novo Civitatis ſacramento, noviſque auſpiciis, ſcholaſticis rebus componendis ſine Artiſtarum Rectore datus eſt. Sed anno ſequenti poſtridie non. jul. Univerſitatis hujus Rector electus eſt *Peregrinus de Veneriis*, locumque tenuit uſque ad nonas Martias anni MCCCCVIII. quo die probatus in Artibus abdicavit. Statim ſuffectus illi eſt *Antonius de Luca*, qui pridie id. maj. anni proximi Medicæ facultatis titulos obtinuit, nec multo poſt in Profeſſorum ordinem aſcendit. In ejus examine actum eſt de impenſis pro Laurea Rectori condonandis: ſed rei tam gravis deliberatio in annum ſequentem extracta eſt. Itaque *Joannes de Haſſia Caſſel* III. kal. jun. MCCCCIX. Rector electus, in Arte Medica gratis inſequenti februario probatus eſt, & Laurea donatus. Valuit exemplum, nullique poſtea Artiſtarum Rectores pro Laurea ſolverunt.

MCCCCX. nonis jun. *Jo. Baptiſta de Viterbio* Rector. Ne hic quidem annum litterarium explevit, ſed ineunte januario anni proximi probatus & Laureatus in Artibus rediit in patriam. Idcirco ſucceſſor illi idibus januariis datus eſt *Philippus de Tarviſio*. Hic porro anno ſequenti, cum Magiſtratum deponeret, elegantem orationem habuit, a Caſparino Barzizio Humanarum Litterarum Profeſſore compoſitam, & inter ejus opera editam. Ceterum vel ex eo tempore acutus habebatur, ut idem ſcribit Caſparinus, & poſt annos non ita mul-

tos

tos ad Philoſophicam ſcholam regendam conductus eſt.

MCCCCXII. III. non. jun. *Nicolaus de Luca* Rector. In ejus electione, ut ſcribit Caſparinus in epiſtola ad Nicolaum Barzizium conſanguineum ſuum, *placuit novum jus conſtitui. Admiſſi enim fuerunt cives, qui nunquam alias recepti fuerant*. Id autem factum eſt, quod Univerſitas nimia ſcholarium infrequentia laboraret.

MCCCCXIII. VIII. id. jun. *Jo. Baptiſta de Neapoli* Rector. Thomas Mocenicus Venetiarum Dux hoc anno electus peculiarem Patavini Gymnaſii curam ſuſcepit, Præturæ memor, quam primus, dedita urbe, ſuſtinuerat; omnemque lapidem movit, ut priſtinam ſcholis frequentiam ſplendoremque reſtitueret. Ne Rectores quidem Gymnaſtici hac in parte ſibi defuerunt, circa auditoria præſertim ſcholaſque aſſidui. Noſter hic, qui Artibus præerat, accepta kalendis april. Medicæ facultatis Laurea, Magiſtratu abiit.

MCCCCXIV. IV. id. jul. *Jacobus de Turre* Bergomas Rector. Cum v. id. maj. anni proximi Medicum examen ſubiiſſet ad gradus Academicos obtinendos, ipſe ſibi ſuffecit ex ordine Profeſſorum *Stephanum de Doctoribus*, qui uſque ad kalendas proximas pro Rectore eſſet. Kalendis autem ipſis MCCCCXV. Rector electus eſt *Thomas* (vulgo *Maſellus*) *de Pedemonte* Neapolitanus, qui Artium ſimul ac Medicinæ titulos adeptus eſt VI. id. jun. anni ſequentis. Eo ipſo die *Nicolaus de Cavazzolis* Vicetinus Rector creatus eſt, anno autem ſequenti XV. kal. oct. Medicæ facultatis Doctor declaratus. Septennio poſt inter Profeſſores fuit, ut conſtat ex veteri Rotulo apud Tomaſinum lib. 5. p. 496.

MCCCCXVII. VIII. kal. jun. *Aleardus de Pedemontibus* Veronenſis Rector. Quamvis frequenter abeſſet, & alium ſibi ſufficeret, munus tamen nomenque retinuit uſque ad nonas julias anni ſequentis, quibus Rector electus eſt *Joannes de Fontana* Venetus. Hic porro locum tenuit per totum julium anni MCCCCXIX. Poſtea ita ſcribi cœpit in Actis Collegii: *Sub Recto-*

Rectoratu Domini Epiſcopi. Electus fuerat *Joannes* ex inclyta Ducum Bavariæ domo, ut eſt in vetuſto codice Venetæ hereditatis Sagredæ. Sed non conſtat, cur locum vacuum reliquerit. Interim autem ad Epiſcopum ventum eſt; quod interdum fiebat, turbatis ambitione rebus, ne corpus hoc in gravioribus ſui muneris functionibus capite carere videretur.

MCCCCXX. kalendis febr. *Venantius de Camerino* Rector. Baſilica Prætoria, in qua Profeſſores aliqui certis horis inter ſe diſputare ſolebant, inopinato conflagravit. Sed Principis munificentia reſtituta eſt: cujus rei adhuc monumentum extat aureis notis inſculptum.

MCCCCXXI. IX. kal. jul. *Thaddæus de Aldemariis* Tarviſianus Rector, qui perrexit ultra annum. Tandem, cum ſucceſſor non inveniretur, pridie non. novembr. MCCCCXXII. idem Prorector declaratus eſt. Simul autem ſcholam regebat Medicinæ ordinariam argenteis vicenis. Prid. kal. jan. decrevit Senatus, ne Medici Collegii Doctores plures eſſent, quam viginti.

MCCCCXXIII. kalendis mart. *Mag. Henricus Alemanus* Rector. Artium Doctor cum eſſet, profeſſus eſt Medicinam extra ordinem diebus feſtis; nec cepit facultatis hujus titulos & inſignia niſi poſt annos viginti.

MCCCCXXIV. kal. april. *Antonius de Tarviſio* Rector, qui Lauream obtinuit VIII. kal. maj. anni ſequentis. Theologorum Collegium per hæc tempora deſertum ac pæne intermortuum Petrus Marcellus Epiſcopus, renovatis Conſtitutionibus, excitavit, atque Apoſtolicæ auctoritatis præſidio magis magiſque firmari curavit.

MCCCCXXV. IX. kal. jul. *Joannes Calderia* Venetus Rectoris munus ab Univerſitate ſibi delatum accepit, cum anno ſuperiore Philoſophiam extra ordinem profeſſus fuiſſet ſtipendio argent. XX. Succeſſor quoque ejus *Marianus de Camerino* inter Profeſſores fuerat, ſumpſitque Rectoris inſignia V. id. ſextil. MCCCCXXVI. Cum autem Epiſcopalis favor

vor

vor in hac & in ſuperiore electione nimium momenti habuiſſe videretur, per litteras Ducales xv. kal. april. vetitum eſt, ne Epiſcopus in Rectoris electione ullas ſibi partes ſumeret.

MCCCCXXVII. *Joannes de Cremona* Rector. Perrexit uſque ad februarium anni ſequentis; quo menſe ſucceſſor illi datus eſt *Andreas Juſtus* Venetus, Artium Doctor.

MCCCCXXIX. *Marcus de Oſnago* Venetus Rector. Avicennam in ſcholis explicuit ſtipendio argent. XX, ut eſt in Tomo Decretorum primo p. 12. quod cuilibet Rectori liberum erat feſtis diebus.

MCCCCXXX. III. kal. nov. *Magiſter Joannes* Veronenſis Rector, cui poſt menſes tres ſucceſſit *Joannes de Albertis* Juſtinopolitanus. Hic cum fuiſſet carcere incluſus, per Conſilium XLVirum liberatus eſt.

MCCCCXXXII. *Lutovinus Zuccareda* Tarviſianus prioribus hujus anni menſibus, *Joanne de Albertis* carcere detento, uſque ad junium Prorector fuit, poſtea Rector. Jam probatus fuerat in Artibus & Laurea coronatus III. non. maj. MCCCCXXVII.

MCCCCXXXIII. pridie id. aug. *Laurentius Maphejus* Veronenſis Prorector, & quidem ad menſes paucos, ſuffectis eodem titulo ſubinde aliis, ipſoque etiam ſuperioris anni Rectore, per totum fere annum litterarium; donec menſe majo MCCCCXXXIV. *Jacobus Cyprius* Rector electus eſt. *Caputium*, dignitatis hujus inſigne, idibus jul. in Cathedrali templo recepit a *Zuccareda*, oratione ab utroque habita; ludiſque de more, quæ *tripudia* dicebantur, tota urbe celebratis. Hic vero ſplendide Magiſtratum geſſit, & plurimum ſibi auctoritatis ſumpſit. Jus enim armorum per ſyngrapham ſcholaribus concedere ſolebat; cujus ſyngraphæ formula eſt apud Tomaſinum l. 4. p. 383. Anno ſequenti Doctor creatus eſt, tituliſque ornatus Philoſophiæ ac Medicinæ.

MCCCCXXXV. nonis maiis *Mag. Joannes de Manſono* Nea-

Neapolitanus Rector. Eo curante, inſtituta eſt publica Univerſitatis ſupplicatio ad aram S. Thomæ Aquinatis in Dominicana baſilica. Id pergratum Patribus illis fuit, qui ſe propterea communi conſenſu obſtrinxere ad ducenda ſine ſtipe Doctorum omnium Univerſitatis hujus, & ſcholarium funera. In Rotulo conficiendo magna exarſit inter Phyſicæ ſcholæ ſtudioſos æmulatio quaſique pugna, contendentibus aliis, ut libri Ariſtotelis octo *de Phyſica auditione* ſibi explicarentur, aliis *de Cælo & Mundo* audire volentibus; eoque res devenit, ut opus Rectori fuerit ad quietem huic Claſſi reſtituendam totam advocare Univerſitatem, & per ſuffragia de penſo hujus anni deliberare. Vicere ſecundi.

MCCCCXXXVI. XI. kal. jun. *Thomas de S. Angelo* Firmanus Prorector. Tomaſinus l. 4. p. 387. ſcribit, creatum fuiſſe Rectorem *Nicolaum de S. Sophia*, qui honorem recuſavit. Sed recuſare, opinor, juſſus eſt, quod eſſet Patavinus.

MCCCCXXXVII. IX. kal. jun. *Paullus de Mutonibus* Tarviſianus, Artium magiſter cum eſſet, in ſcholarium comitiis nomen profiteri voluit, Rectorque electus eſt. Locum tenuit uſque ad kal. majas anni ſequentis, quibus datus eſt illi ſucceſſor *Leonardus de Magiſtris* Aquilanus, ipſe quoque Artium Doctor. Senatus VI. id. ſextil. conſtituit, ut Collegiorum controverſiæ ad Epiſcopum deferri ſolitæ in poſterum ad Prætorem deferrentur: quo tamen decreto Theologi comprehenſi non ſunt. Præterea vetuit, ne quis Venetus in Rectoris electione nomen daret; ſicut antea vetitum ab ipſa Univerſitate Patavinis fuerat, ad vitandas turbas, quas iſtiuſmodi Candidati ſuorum opibus & gratia excitare poterant. Ex Tomo I. Decret. p. 14.

MCCCCXXXIX. V. id. maj. *Bartholomæus Comes de Spilimberg* Forojulienſis Rector. Cum identidem abeſſet, conterraneus ejus *Jo. Antonius de Lido*, qui inter Collegii Doctores erat, pro Rectore egit. Eandem operam ſucceſſori præbuit *Fr. Jacobo Stbillingboltz* ex Ordine Teutonico Hoſpi-

talis S. Mariæ in Hieruſalem. Hic vero perrexit ultra annum litterarium uſque ad idus ſeptembres anni proximi, quo die creatus eſt Rector *Jo. Daniel de Advocariis* Papienſis.

MCCCCXLII. VII. kal. jul. *Henricus Stenbanwel de VVilla VVirmè* Rector, qui proximo ineunte januario Medicæ facultatis Lauream cepit, cum jam antea in Artibus fuiſſet probatus. Menſibus reliquis uſque ad octobrem cum deeſſet inter petitores nomen idoneum, pro Rectore egit *Nicolaus de S. Sophia* ex Collegii Doctoribus; tandemque obtulit ſe loco dignus *Joannes Argyropolus* Conſtantinopolitanus, Rectorque factus eſt III. id. ejus menſis. Medicorum Collegium lege cavit, ne Doctor ullus ſui ordinis in poſterum Rector eſſet, vel pro Rectore ageret. Cauſſam præbuit *Nicolaus de S. Sophia* modo memoratus, qui Prorector Univerſitatis priore anno cum eſſet, orta controverſia, Collegii ſui jura oppugnare coactus eſt.

MCCCCXLIV. *Benedictus de Caſtello* Tarviſianus Prorectoris titulo Univerſitati præfuit uſque ad idus majas anni ſequentis; poſtridie autem Rector electus eſt, ut titulo nobiliore pergeret in annum alterum. *Cajetanus de Tienis* Philoſophiæ Profeſſor Medicorum Collegio, ut ſuo loco dicam, per litteras Ducales adſcriptus eſt: quo exemplo Collegii jura minui cœperunt. Antea enim Profeſſores commendabantur dumtaxat. Itaque decennio poſt *Zacharias de Feltro* Medicinæ Profeſſor, munitus acceſſit Advocatoriis litteris; ſed poſtmodum ad ſedandas lites ipſe quoque decreto Senatus uſus eſt. Idem eodem modo obtinuit anno MCCCCLXI. *Matthæus de Bolderiis*, qui Medicinam tradebat Theoricam Extraordinariam; ac deinde alii ſine controverſia, donec res in conſuetudinem venit.

MCCCCXLVI. kalendis maiis *Auguſtinus Calaber* Rector. Sub ejus regimine Franciſcus de Engleſchis Florentinus, Artium ac Medicinæ Doctor, Collegium teſtamento inſtituit ex domo & bonis ſuis ad cuſtodiendos & alendos juvenes

egenos

egenos quatuor, qui Philoſophiæ ac Medicinæ operam darent, ſinguli per annos quinos, Lauream conſecuturi. Id autem fieri placuit poſt mortem dumtaxat Catharinæ uxoris. Ex his duos Patavinos eſſe juſſit, tertium Tarviſianum, quartum Muglenſem: uxor quintum addidit, quadriennio poſt mariti fatum ſecuta, ex bonis propriis. Curatores totius negotii eſſe voluerunt Præſidem Collegii Medici, Stephanum, & Benedictum fratres de Doctoribus, eorumque heredem ſeniorem. Id uſque adeo nobili huic familiæ placuit, ut Stephanus anno MCDLVI. VIII. kal. jul. ſupremis tabulis mandaverit, in domo ſua, & ex patrimonio ſuo Collegium inſtitui generis ejuſdem, ſi quando mares heredes deficerent. Nunc Collegii Engleſchi alumni quatuor ſunt, Tarviſianus, qui a Decurionibus ejus Civitatis eligitur, & Patavini tres, cum Muglenſis qui petat, nullus appareat. Præbentur ſingulis annui argentei XLV. & cubiculum ornatum; Cuſtodi autem argentei XV.

MCCCCXLVII. poſtridie kal. aug. Artium Magiſter *Aloyſius*, vulgo *Lyſius Cyprius* Rector. Cum Medicorum Collegium VIII. kal. ſept. in S. Martini ædem, ut ſueverat, convenire conſtituiſſet, *quia non potuerunt Doctores intrare, quod januæ eſſent ab intra clauſæ, intraverunt hoſpitium Bovis ſub quadam lodia, quem locum pro legitimo elegerunt*. Ex Actor. Cod. X. Caſus hic omen loco præbuit. In eum enim ſub initium ſæculi proximi translatæ ſcholæ ſunt. Rector cum de patria cogitaret, nondum anno circumacto, probari in facultate Medica voluit; primumque examen in Collegio ſubjit v. id. mart. anni proximi, alterum in Epiſcopi ædibus triduo poſt, tertium in Cathedrali baſilica, ubi publice coronatus eſt, & Medicinæ Doctor renunciatus.

MCCCCXLVIII. idibus jul. *Deſideratus Veronenſis* Artium Doctor, edito rurſus inter ſcholares nomine, Rector creatus eſt. Poſtremis autem menſibus cum abeſſet, Prorector fuit *Franciſcus Nicolaus de Carreriis* Bergomas; idem-

que Rector factus eſt ineunte junio MCCCCIL. Vana multa cum irrepſiſſent in Laureæ diplomata, qua *Privilegia* dicuntur, Collegium Medicorum vetuit, ne ullum in poſterum concederetur, niſi prius cum a Præſide & Conſiliariis, tum etiam ab Epiſcopo probatum eſſet. Cavit præterea, nequis ex ſuis privato cujuſquam examini adeſſet, fidemque ſuam adjungeret, ut eum *Privilegiati* neſcio qui Laurea tituliſque ornarent. Solebant enim quidam non Artium modo, ſed etiam Juris ſtudioſi, ut Collegiorum judicium, & impenſas effugerent, privatis in ædibus examinari; tum vero ex eorum, qui intererant, fide a Comitibus Palatinis vel Cæſareis, vel Lateranenſibus diplomata obtinebant, Doctoreſque habebantur.

MCCCCL. XIV. kal. april. *Nicolaus de Manupelis* Theatinus Rector, ſed non ultra menſem julium. Poſtea pro Rectore fuit *Petrus de Noali* Artium Doctor uſque ad julium anni ſequentis. Medicorum Collegium novas ſibi conſtitutiones condidit, decreto firmavit, Doctoreſque ſingulos in eas jurare voluit, veteribus abrogatis.

MCCCCLI. *Mag. Georgius Pinzer* ex Sileſia Rector, qui Medicæ facultatis Lauream cepit III. nonas majas anni proximi, ipſiſque nonis *Michaeli de Benvenutis* Artium Doctori *Caputium* præbuit, ut ſibi ſuccederet.

MCCCCLIII. XIV. kal. jun. *Segaldus Muler* Nurimbergenſis Rector, qui ultra annum litterarium cum ſcholaſtico imperio & poteſtate fuit, donec pridie kal. ſeptembr. MCCCCLIV. in locum ejus ſuffectus eſt *Bartholomæus Vaſarius* de Montebodio. Hoc anno Tarviſianis ſcholaribus egenis proviſum eſt. Thaddæus enim Adelmarius Tarviſianus, Artium ac Medicinæ Doctor, & Comes Palatinus, cum Romæ eſſet Magiſter Regeſti Litterarum Apoſtolicarum, nonis ſeptembr. teſtamentum fecit, domumque Hoſpitalem patriæ ſuæ, quæ *S. Maria de Battutis* dicitur, heredem ex aſſe ſcripſit, onere impoſito, & quidem perpetuo, ut ex bo-

norum

norum ſuorum reditu pauperes adoleſcentes VIII. Patavii alerentur, ubi operam omnem in Theologicis ſtudiis ponerent, tituloſque Academicos obtinerent. Sed cum, labentibus annis, in beneficium hoc partim Cœnobitæ irrepſiſſent, partim alii, qui ſe vel Medicinæ, vel Juriſprudentiæ dabant, Curatores anno MDCCXXVII. rem totam in integrum reſtituerunt, decernentes, ut annui hereditatis fructus, qui ad ſextarios frumenti LXXII. Tarviſianos, & vini congios LXX. redacti erant, in poſterum viritim dividerentur Clericis Tarviſianis IV. eligendis & probandis ipſorum Curatorum judicio. Præſtitutum ſingulis quinquennium eſt, intra quod Theologicum curſum expleant, & ſacra piacularia quotannis quadragena fieri curent; non ſine prece aliqua quotidiana ad Deum pro æterna teſtatoris ſalute propitiandum. Teſtator quidem non plura poſtulaverat ſacra, quam tricena: ſed cum viſum ſit Curatoribus pro temporum natura ſtudentium numerum minuere, ſacrorum auxerunt.

Inde Rectores fuere anno MCCCCLV. *Caſpar de Amigdola* Siculus, MCCCCLVI. *Nicolaus Schirottus* Sacillanus, MCCCCLVII. *Remarius de Cœpal* ex Zelandia, MCCCCLVIII. *Joannes de Capua*. Sub anni proximi initium, *Capuano* regente Univerſitatem, vetuit Senatus, ne Medicinæ Profeſſores, apertis ſcholis, Patavio exirent. Quod ſiquis Venetias vocaretur, non aliter iret, quam impetrata a Sapientum Collegio facultate per tres ſuffragiorum partes; nec diutius abeſſet, quam per dies octo; nec niſi bis in anno. Medicorum quoque Collegio conſulendum Senatus cenſuit, cujus judicium nimis verita juventus in exteris Gymnaſiis gradus ſcholaſticos ſumebat. Proinde vetuit, nequis ullo in loco Venetæ ditionis Medicinam factitaret, aut chirurgicam artem exerceret, quin Patavii rite probatus eſſet.

MCCCCLIX. *Hieronymus de Albano* Bergomas Rector, qui titulum non retinuit ultra nonas januarias anni proximi,

quo

quo die Medicinæ Lauream cepit. Per hæc tempora, ut in Juriſtarum Faſtis dixi, inventa eſt Typographica ars, quam cito immenſa quædam ſtudiorum omnium facilitas, & rei litterariæ propagatio conſecuta eſt. Sed quia nullum eſt tantum bonum, quod non corrumpat interdum præpoſterus uſus, & in contrarium vertat, non deſunt qui in dubium vocent, utrum ad litterarum & religionis ſalubritatem expediat eſſe typographos.

MCCCCLX. *Ludovicus Podocatharus* Cyprius VII. kal. jun. Rector electus eſt, ut in lib. Statutorum III. c. 46. ex quo loco apparet, hunc primum Artiſtis conſtitutiones ſcripſiſſe, vel potius diſperſas collegiſſe, & confirmari curaſſe. *Podocatharum* excepit anno MCCCCLXI. poſtridie kal. jun. *Joannes de Juſtis* Cretenſis, qui ineunte Majo anni ſequentis accepta Medicinæ Laurea diſceſſit. Statim poſt ſuffectus eſt *Joannes de Auguſtinis* Bergomas. Sed ne hic quidem in Magiſtratu fuit ultra nonas majas anni proximi MCCCCLXIII. quo die Medicam Lauream obtinuit. Poſtridie autem creatus eſt Rector *Balthaſſar de Lendinaria*. Mota pridem controverſia cum fuiſſet de corpore S. Lucæ Euangeliſtæ, quod ab Urio Presbytero Conſtantinopoli delatum, & in Caſſinenſi D. Juſtinæ baſilica aræ impoſitum ſervatur, occaſione alterius corporis eodem titulo Venetias allati, & ad publicam venerationem cultumque expoſiti, Principis juſſu poſtridie id. aug. aperta arca eſt coram civitatis Decurionibus, proceribus aliis, & Medicæ facultatis Magiſtris, ut de re tota cognoſceretur. *Paullus a Flumine*, & *Franciſcus Paſſera*, primarii Univerſitatis Profeſſores, pronunciarunt, oſſa illa hominis eſſe remotiſſimæ antiquitatis, deficiente capite. Defectus hic valuit ad ſedandam controverſiam; quandoquidem ſatis conſtat, Gregorium Magnum P. M. Lucæ Euangeliſtæ caput Romam tranſtuliſſe ab Imperatore ſibi conceſſum, cum Pelagii Pontificis Apocriſarius Byzantii eſſet. In honorem porro Sancti hujus Euangeliſtæ, Medicæ Artis patro-

patroni, ejus die feſto Collegii Medici Doctores in templum hoc ſolemniter convenire ſolebant; factiſque magnifice ſacris, & oratione habita, Reliquias ejus venerabantur. Anno ſæculi, quo ſcribimus, vigeſimo quinto intermiſſa ſupplicatio eſt, cauſſamque intermiſſionis hujus alibi retulimus.

MCCCCLXIV. *Odomatthæus de Catonibus* Urbinas Rector, menſe martio electus, novas condidit Univerſitatis conſtitutiones. Cum eſſet Artium Doctor, Dialecticam, & Philoſophiam in ſcholis profeſſus eſt, & quidem ita, ut inter exempla ſucceſſoribus eſſe potuerit. Idibus martiis MCCCCLXV. Medicæ facultatis Lauream tulit: poſtridie autem Rector creatus eſt *Antonius Medulus* Tarviſianus, cui menſe item martio anni ſequentis ſucceſſit *Belpetrus de Aurelianis* Vicetinus. Extant adhuc Ducales litteræ, quibus eſt confirmatus, & Laureæ diploma, quæ illi collata eſt idib. april. MCCCCLXVII. Menſe majo locum ejus magnis contentionibus occupavit *Petrus Oddonus* Siculus, nec tamen retinuit niſi uſque ad idus februarias anni proximi. Sub ejus regiminis finem inſtitutæ ſunt ſcholæ tertiæ Logicæ, Philoſophiæ, & Medicinæ tum Theoricæ, tum Practicæ, quas regerent Patavini cives ad ingenium exercendum; nec ullus eorum aſcendere ad ſuperiores poſſet, quin prius virium ſuarum experimentum hoc tamquam tirocinio per triennium daret. Atque initio quidem incredibili animorum ſtudio & contentione acceptum beneficium eſt, ut alii alios urgerent, nulluſque fere ultra tirocinii tempus pergeret. Verum, amiſſa labentibus annis novitatis ſpecie, moribuſque mutatis, nec multi fuere præſtanti ingenio juvenes, qui hujus ordinis ſcholas peterent, nec defuere qui inter tirones æquo animo ſeneſcerent. Tertiani iſti Profeſſores quomodo eligantur, & quodnam eorum minerval ſit, alibi dixi.

MCCCCLXVIII. *Petrus de Filetinis* Utinenſis Rector, qui Artium & Medicinæ Lauream cepit XII. kal. Maj. anni proximi, locumque ceſſit *Chriſtophoro de Oddaxis* ex Marti-

nengo

nengo ditionis Bergomenſis. Hic porro cum paullo poſt abjiſſet, vicem ejus functus eſt Proreſtoris titulo *Hieronymus de Verona* Magiſter Artium uſque ad kalendas majas MCCCCLXX. cum Rector creatus eſt *Joannes Turinius* Peſcienſis. Venetiis hoc anno Philoſophiæ ac Medicinæ Collegium inſtitutum eſt, ad eos probandos, tituliſque ornandos, qui in alterutra facultate, vel in utraque excellerent; & Paulli II. Pont. Max. diplomate confirmatum. Ad alias quoque diſciplinas propagari voluit, & Studii Generalis nomine inſigniri: ſed intra fines ſuos ſtetit, quos adhuc tenet, ita cenſente Senatu, ne quid hac de cauſſa Univerſitas Patavina detrimenti caperet. Solis igitur Philoſophis ac Medicis patet, iiſque Venetis, quorum examini Pontificia auctoritate præeſt Rector Eccleſiæ S. Joannis in Bracula; in qua urbis regione Paullus Pontifex ex Nicolao Barbo natus eſt.

MCCCCLXXI. Rector creatus eſt *Jo. Andreas* de Tarviſio, MCCCCLXXII. Artium Magiſter *Joannes Urius* Cyprius, MCCCCLXXIII. *Jo. Andreas de Bolderiis* Veronenſis, MCCCCLXXIV. *Dominicus a Judice* (al. *Zanottus*) Cenetenſis, MCCCCLXXV. *Antonius de Sicilia*, MCCCCLXXVI. *Paullus Brixianus*, MCCCCLXXVII. *Jacobus de Luca*, MCCCCLXXVIII. *Jacobus de Vienna*, cui, cum menſe decembri receſſiſſet, ſucceſſor datus eſt *Ludovicus Zuffarus* Vicetinus, *Zuffato* autem *Aloyſius de Coneglano* Prorector. Decennio ferme integro nihil accidit memoria dignum, niſi quod Gradus Academici tantopere antea quæſiti, pro rerum humanarum conditione, quæ diu ſtare eodem loco neſciunt, præteriri cœperunt non a ſtudentibus modo, ſed ab iis ipſis qui ſcholas regebant, & docendi jure publice utebantur. Collegiorum querelis hac de re Venetias perlatis, decreta ipſis ſalutaria, totique Gymnaſio decora facta ſunt.

MCCCCLXXX. *Benedictus Ariminenſis* Rector pridie id. mart. electus. Eo curante, Univerſitati conceſſum eſt, ut

ut de Profeſſoribus omnibus per ſuffragia judicaret, exceptis duobus dumtaxat, *Aquilano*, & *Sermonetta*, ex Senatuſconſulto IX. Kal. nov. perſcripto, quo litteræ Ducales aliis Profeſſoribus hac de re conceſſæ revocantur. Subinde Rectores facti anno MCCCCLXXXI. III. Kal. april. *Antonius Vitalis* de Pirano, MCCCCLXXXII. *Bernardus de Carreriis* Bergomas, MCCCCLXXXIII. *Bernardus de Cardo* Siculus, MCCCCLXXXIV. *Laurentius Torta* ex Urceis Majoribus, qui non cepit Doctoris inſignia niſi decennio poſt, cum Philoſophiam Moralem publice profiteretur; MCCCCLXXXV. poſtridie non. jun. *Andreas*, al. *Hieronymus*, *Cepolla* Veronenſis; quo ſtatim bona venia recedente, V. Kal. Sextil. pro Rectore agere cœpit *Matthæus de Sebenico*, egitque uſque ad januarium anni proximi, quo *Cepolla* ad munus rediit; MCCCCLXXXVI. VII. id. jun. *Bartholomæus de Scledo* Vicetinus, quo abſente Univerſitatem rexit Prorector *Jacobus Savojanus*; MCCCCLXXXVII. poſtridie Kal. jun. *Ludovicus de Scledo* Vicetinus. Fuit & feminæ per hæc tempora locus. Etenim Caſſandra Fidelis Veneta, cujus vitam ſcripſit Tomaſinus, orationem habuit pro Alberto (vulgo *Bertuccio*) Lamberto Canonico Concordienſi conſanguineo ſuo, dum Philoſophiæ Lauream publice caperet. Eadem de rebus Philoſophicis in tanta Gymnaſii luce non ſemel diſſeruit, difficultateſque graviſſimas ſibi propoſitas acute prompteque diſſolvit.

MCCCCLXXXVIII. poſtridie id. april. *Ludovicus Zaita* Mantuanus Rector. Cum moris eſſet, ut jentaculum Rectores darent, ipſe pro jentaculo ludicrum certamen dedit, quod *Haſtiludium* vocant, concedente tum primum Collegio. Poſtridie Kal. ſextil. in Artibus probatus cum per menſem abjiſſet, pro Rectore fuit conterraneus ejus *Joannes Agnellus*.

MCCCCLXXXIX. XI. Kal. jun. Rector creatus eſt *Hieronymus Civalellus* Jadertinus, MCCCCXC. *Donatus Civalellus* Eques, MCCCCXCI. *Joannes de Tinctis*, MCCCCXCII. *Hieronymus Chriſarius* Jadertinus, MCCCCXCIII. *Franciſcus*

Auricbalcus Veronenſis, MCCCCXCIV. *Paullus de Ronchis* Brixianus, MCCCCXCV. *Leonardus Ubriacus* Veronenſis. Primus hic Statutorum codicem typis commiſit decreto Senatus confirmatum. MCCCCXCVI. XII. Kal. ſept. *Antonius de Perſonis* Romanus, quem poſtea ſecuti ſunt anno MCCCCXCVII. VIII. Kal. ſeptembr. *Hieronymus Malclavellus* Vicetinus, MCCCCXCVIII. poſtridie id. ſept. *Hieronymus Caſſola* Regienſis, MCCCCXCIX. idibus ſextil. *Paullus Monellus* Cremenſis, cujus regimen in tempora incidit cæli intemperie, aeris gravitate, eluvionibus, infectiſque inde ortis plane fœda. Territis propterea omnibus peſtilentiæ ſuſpicione, magna fuit ſcholaſticarum exercitationum infrequentia; exactoque anno indultum Rectori eſt, ut poſt prandium IV. non. ſept. Lauream caperet.

Anno ſæculi exeuntis ultimo IV. Kal. oct. Rector creatus eſt *Sigiſmundus de Girardinis* Lendenarienſis, ſequentis autem primo XII. Kal. ſept. *Octavianus Rivabeni*. Magnam per hæc tempora inter Gymnaſii Philoſophos controverſiam excitavit vetuſta lucerna ex agro Atheſtino effoſſa, quam Maximus Olybius Ethnicæ ſuperſtitioni deditus Plutoni dicaverat. Ardentem adhuc ſe reperiſſe foſſores dixerunt, fidemque apud pleroſque invenere ob exempla ſimilia, quæ videri poſſunt apud Licetum de reconditis antiquorum Lucernis lib. I. Rem narrat Scardeonius in fine libri primi Claſſis III. & ex eo Tomaſinus, aliique plures.

MDII. VII. Kal. ſept. creatus eſt Rector *Paullus Zerbus* Veronenſis, cui non omnia ſatis ſalva fuere, quod lingua eſſet parum caſtigata. Attamen blaſphemiæ damnatus cum fuiſſet III. id. jan. anni ſequentis, auxilio a Venetis Advocatoribus impetrato, reſciſſa ſententia eſt, ut refert Monteroſſus. *Zerbo* ſuffectus eſt *Bernardinus Spineta* Tarviſianus, *Spinetæ* autem *Andreas Benzonus* Bergomas. Hic porro cum Lauream cepiſſet IX. Kal. dec. MDV. per litteras Ducales factus eſt Rector *Bernardinus de Portenariis* Florentinus. Eodem

dem

dem modo factus eſt anno proximo Kalendis octobr. *Antonius de Aletio*, tum anno MDVII. nonis ſextil. *Andreas Polonus*, ſequenti vero *Andreas de Bettellis* Veronenſis. Hic in annum alterum confirmatus, ingruente bello, Gymnaſium clauſit. Attamen nec privatæ quædam inter arma deſuere ſcholæ, nec ſtudioſus aliquis adoleſcens, qui ad gradus tituloſque Academicos quoquo modo promoveretur. Aliunde quoque venere ſubſidia. Nam Hieronymus de Lambertis Brixianus, nobili loco natus, cum medicinam Patavii faceret, Civitate donatus, hoc anno bona ſua patrio Conſilio ſupremis tabulis reliquit, ejuſque fidei commiſit, ut ex eorum fructu Brixiani juvenes XI. Patavii alerentur, qui ad artes ac diſciplinas acquirendas hoc ſubſidio indigerent, aſſignata domo ipſa, quam incolebat in vico S. Luciæ, ut in Collegii uſum verteretur. Ex his unum, qui moribus eſſet caſtigatis, præfici aliis optimum duxit; addiditque famulum, & coquum. Et quia bonus vir ſibi perſuaſit, hereditatem ſuam tempore fieri poſſe meliorem, vetuit ne alumnorum numerus augeretur ultra duodenos, ad vitanda vitia, quæ turbam comitari ſolent. Quidquid ſupereſſet pecuniæ, in pauperes erogari juſſit. Porro in eligendis alumnis Lambertinæ familiæ rationem haberi voluit. Ex ea ſi qui forent, qui beneficio uti vellent, iis conceſſit, ut in Collegio manere poſſent per annos ſinguli denos, & ſtudia colere quæcunque liberet; ceteros in Artibus & Medicina verſari juſſit, nec ultra ſexennium retineri. Poſtea aliæ atque aliæ leges a Collegii Curatoribus conditæ ſunt. Poſtremæ prodiere anno MDCXV. quibus decernitur, ut quini tantum ſint alumni ex juſtis nuptiis, & honeſto loco Brixiæ nati. Aſſignantur illis Venetæ libellæ tricenæ in menſes ſingulos a Kalendis Novembribus ad Julias per quinquennium: quo elapſo, ſcholaſticos titulos & Lauream in Artibus ac Medicina ſumere debent, fide in anteceſſum data, prædibuſque confirmata. Sed has ipſas leges tempora poſteriora mutarunt. Nunc enim adoleſcentes non

M 2 plures

plures IV. in Collegio ſunt, nec illis ultra quadriennium litterarium continuari beneficium ſolet. Eſt tamen, ad menſtrua quod attinet, paullo majus. Præbentur enim ſingulis libellæ ſenæ quinquagenæ, & cubiculum rebus omnibus inſtructum præter lintea. Si quis admittitur ſupra numerum, tecto contentus impenſis ſuis vivit. Famulus, idemque Collegii Cuſtos, habet ſalarii nomine argenteos annuos XII. Porro Collegium conditum non eſt niſi poſt annum MDXXII. quo teſtator adquievit.

PROFESSORES ARTISTARUM
AB ANNO VENETÆ DOMINATIONIS
P R I M O
USQUE AD JUSTITIUM ANNI MDIX.

Religionis ratio poſcit, ut a Theologis incipiamus. Cum Barbari una cum Romano Imperio humanitatem in Italia omnem extinxiſſent, quidquid litterarum ſupererat, Epiſcoporum ædibus, & Monaſteriis concludebatur. Atque in Monaſteriis quidem geminæ ſcholæ erant, interiores, quibus exercebantur Monachi, atque exteriores, quæ cuilibet de populo patebant. Epiſcopales unius generis erant, quas interdum ipſe regebat Epiſcopus, interdum autem ex Canonicis ſuis aliquem præficiebat, qui Scholaſtici nomen titulumque ferret. Excuſſa paullatim barbarie, ac litterarum ſcholis paſſim per urbes reſtitutis, exteriores Monaſteriorum ſublatæ ſunt. Stetere diutius Epiſcopales: proindeque etiam inſtitutis Academiis, magna Epiſcopo habita reverentia eſt, & ad illum, tamquam ſcholaſtici ordinis principem, auctoritas eſt hujus generis omnis delata. Apud nos certe Epiſcopus Collegia inſtituit, Medicum ex Medicorum decuria, quam *Frataleam* vocabant, Juridicum ex decuria Judicum, Theologicum ex Cœnobiorum Magiſtris, quorum opera uteretur ad regendas ſcholas, & ad gradus ſcholaſticos recte diſtribuendos. Itaque omnis Gymnaſticus ordo primis temporibus a Collegiis pendebat, Collegia ab Epiſcopo. Ipſa autem hæc civitatis pars totius civitatis legibus, & eorum qui civitatem regebant imperio, pro talium rerum natura, ſubjecta erat. Quapropter Rectoris ſcholaſtici tribunal in aula quidem Prætoris

toris erat; at ſiquis tamen de ejus judicio quereretur, Epiſcopum appellabat, tamquam præcipuum claſſis hujus gubernatorem. Jura hæc Epiſcopalia civilium mutatione rerum paullatim comminuta ſunt, & ad ſcholam unam redacta, in qua de Deo rebuſque divinis diſputaretur. Theologiam dico ordine primam, cujus ortum & progreſſum alibi explicui. Hic de ejus Magiſtris dicam.

Theologiæ ſchola anno ſæculi quartidecimi LXIII. in Gymnaſium inducta initio una fuit, nullique obnoxia. Poſtea biformis diſputando cum evaſiſſet, duas peperit Magiſtrorum claſſes, quibus non ſine ratione & conſilio mancipata eſt.

DE PRIMIS THEOLOGIÆ PROFESSORIBUS

Ad quatuor Sententiarum libros Petri Lombardi.

NUllius publici Theologi memoria exſtat apud noſtros ante annum MCCCXCVII. quo anno *Fr. Mag. Jacobus de Confortis* Patavinus ex Ordine Prædicatorum S. Theologiæ Profeſſor eximius vocatur in veteri Laureæ diplomate apud Tomaſinum de Gymn. l. 1. p. 178. Credibile eſt, illum multo ante docere cœpiſſe: ſi modo idem eſt *Fr. Jacobus de Conforto* S. Theologiæ Magiſter, qui anno MCCCLXXXV. ſui Cœnobii Præſes dicitur in ſchedis MSS. Monteroſſi Tabellionis. Memoratur etiam in ſchedis illis *Magiſter Leoninus* ex Ordine Eremitarum, & ſine ulla temporis nota ſacræ Paginæ Profeſſor vocatur; qui titulus Theologi per ea tempora frequens erat ante inſtitutam S. Scripturæ ſcholam.

MCCCCXXIV. *Mag. Joannes de S. Marino* ex ordine Minoritarum S. Franciſci, ſacræ Paginæ Profeſſor dicitur in præfatione Statutorum Collegii Theologici, quæ ipſo Decano & auctore condita ſunt.

MCCCCXXXIII. *Mag. Ludovicus de Pirano* ad Theologiam

logiam profitendam conductus eſt ab Univerſitate argenteis quadragenis. In decreto autem Senatus, quo Profeſſorum Rotulus confirmatur, perſcriptum eſt, *talem Lecturam locum non habere, quia eſt inuſitata*. Iccirco *Mag. Ludovicus* in Ordinaria Philoſophiæ ſchola collocatus eſt. Hinc ſatis manifeſtum eſt, Theologos per hæc tempora, non Univerſitatis, ſed Epiſcopi judicio eligi conſueviſſe, reliquis Profeſſoribus nondum in Rotulo aſſociatos.

MCCCCLIX. *Jo. Franciſcus Pavinus* Patavinus Juris Utriuſque Doctor, & S. Theologiæ digniſſimus Profeſſor dicitur hoc anno in Actis Collegii Theologici Cod. I. p. 3. Antea Decretum explicuerat, ut ad eam ſcholam diximus. Anno poſt Romam profectus eſt, ubi magna doctrinæ opinione floruit, multaque ſcripſit, quæ refert præter alios Oudinus de Scriptor. Eccleſ. in T. III. p. 2695.

MCCCCLXX. *Mag. Joannes de Utino*, vulgo *Zannettinus*, Præſes Generalis Minoritarum S. Antonii, ſcholam hanc regebat, ut eſt in Ephemeridibus Monteroſſi ad decembrem p. 254. Sed anno ſequenti IV. Kal. oct. commiſſa eſt *Mag. Franciſco Donato* argenteis quinquagenis, ut refert ex decreto Senatus Ingulfus de Comitibus.

MCCCCLXXII. IV. id. april. *Mag. Jo. Petrus de Belluno*, ex ordine Minoritarum S. Antonii, teſtis aſſertur in Teſtamento Jo. Franciſci Savonarolæ rogato per Guidonem de Cortelleriis, diciturque S. Theologiæ Profeſſor. Si modo ex titulo hoc certi aliquid ad rem noſtram colligere licet. Interdum enim lata quadam & ambigua ſignificatione in illorum temporum ſcriptis adhibetur.

MCCCCXC. Theologi publici munere *Magiſter Gratia* fungebatur, qui pro Minoritarum inſtituto Scoti ſui doctrinam tradebât. Studentes non pauci S. Thomæ ſtudioſi, excitata in curam hanc Univerſitate omni, tandiu egere, donec Senatus cenſuit poſtridie non. novembr. alteram aperiendam eſſe Theologiæ ſcholam, in qua Thomiſticæ doctrinæ placita expli-

explicarentur. Tantus tamen hic ardor pro parte utraque cito refrixit. Nam Leonardus Ubriacus quinquennio poſt Artiſtarum Rector in præfatione Statutorum profitetur, *ſe Theologiam prorſus intermiſſam, & funditus eradicatam reſtituiſſe.* Et ſane nulla eſt ante hoc tempus in Artium Statutis Theologorum mentio. Id ego diſſimulare maluiſſem, ne illis diſplicerem, qui ſcholæ hujus initia cum Gymnaſii inſtitutione conjungunt, ſemperque illam viguiſſe putant. Sed bonis viris eripiendus eſt error; idque mihi facere neceſſe eſt, non ut reprehendam, ſed ne reprehendar.

DE THEOLOGIÆ PROFESSORIBUS EX SCHOLA THOMISTICA.

EOdem Senatus decreto, quo recepta in Gymnaſium D. Thomæ Theologia eſt anno MCCCCXC. ad eam regendam conductus eſt argenteis ſexagenis *Mag. Ludovicus* ex ordine Prædicatorum. Dictus autem eſt *Ludovicus de Ferraria*, quod ex Ferrarienſi Gymnaſio accitus eſſet, ubi Metaphyſicam profitebatur. Sedem occupavit ordine ſecundam, nulla habita doctrinæ Thomiſticæ ratione, quod jam *Mag. Gratia* locum præcepiſſet. Ceterum honore habiti pares ſunt, & primarius uterque declaratus. Vix annum totum *Mag. Ludovicus* ſcholam retinuit, non decennium, ut ſcribit Echardus in T. I. pag. 883.

MCCCCXCI. Cum *Mag. Ludovicus* diſcedere coactus eſſet ad Ordinis ſui negotia Romæ procuranda, idibus jul. ſuffectus eſt *Mag. Bernardus* argenteis LX. Sed cum abnuiſſet, eodem die, eodemque ſtipendio conductus eſt *mag. Vincentius Mercurialis* Venetus, Cœnobitarum SS. Joannis & Paulli commendatione. Hic tamen ipſe cito locum deſeruit, progreſſus ad Metaphyſicam, quæ per ea tempora magno in honore erat; ſuffectuſque eſt *mag. Hieronymus de Monopoli.*

MDII. Ipſe quoque *Monopolitanus* ad Metaphyſicam tranſiit,

ſiit, relicta Theologica ſchola. In hanc anno ſequenti poſtridie non. jul. ſucceſſit *Mag. Caſpar de Manſuetis* Peruſinus florenis LX. qui triennio poſt aucti ſunt ad centenos. Anno MDVIII. IV. id. oct. donatus eſt argenteis Venetis viginti extra ordinem; non tamen concionandi veniam obtinere potuit, quam enixe petierat. Idem anno MDXVII. ſtatim poſt bellum evocatus eſt florenis LXXX. augendis triennio poſt ad C. ſed conditione addita, ne de concionando cogitaret. De illo ſcribit Echardus in T. II. p. 24. ſed nimiam Tomaſino fidem habet.

DE THEOLOGIÆ PROFESSORIBUS EX SCHOLA SCOTISTICA.

ANno MCCCCXC. ut antea diximus, ſcholam hanc *Mag. Gratia* Minorita regebat ſtipendio floren. LX. Quo anno cœperit, non ſatis conſtat. Sed illud tamen conſtat, ante hoc tempus, quo ſcholarum partitio facta eſt, penes ipſum unum omnem Theologiæ publice explicandæ auctoritatem fuiſſe.

MCCCCXCV. III. non. dec. *Mag. Mauritius de Porta* Anglicus, ex D. Antonii Cœnobio, electus eſt ad tempus, ſervato jure *Magiſtro Gratiæ*; quem forte abſentem, ut rediret, & Prætor, & Epiſcopus magnis conditionibus extimulabant. Conſtitutum illi ſtipendium eſt floren. LX. auctumque ad C. anno MDIV. ex commendatione Epiſcopi, & Rectorum civitatis. Apparet ex hoc decreto, adhuc Theologum Scotiſtam tenuiſſe locum primum; quia *Mag. Mauritius* Vicariam quodammodo operam *Magiſtro Gratiæ* redituro præbebat.

MDVII. v. kal. nov. Cum *Mag. Mauritius* Hiberniæ Archiepiſcopus electus eſſet, additi ſunt ejus ſtipendio argentei XXV. ut commodius agere poſſet (quæ ſunt decreti verba) & docere pergeret, quemadmodum perrexit uſque ad bellum proximum anni MDIX. Ex ejuſdem decreti verbis conſtat, auctarium hoc factum fuiſſe de Collegii ſententia & mandato.

DE METAPHYSICA PRIMI LOCI,

Quæ poſtea Metaphyſica in via D. Thomæ dicta eſt.

Ad librum primum, ſeptimum, & duodecimum Metaphyſicorum Ariſtotelis.

DIſputationes Theologicæ cum ad ſummam quandam ſubtilitatem deveniſſent, effecere, ut Metaphyſica quoque in Patavinum Gymnaſium reciperetur anno MCCCCXLII. ut colligitur ex decreto Senatus MDII. quo decreto conductus eſt *Fr. Hieronymus de Monopoli*. Ejus Profeſſores primi, ut eſt ibidem, ex Ordine fuere Prædicatorum; quorum in numero ponitur *Fr. Gratiadeus Aſculanus* a Deſiderio de Lignamine, & ab aliis Biographis; vixitque uſque ad annum MCCCCLX. ut eſt apud Jo. Michaelem Pium, & Commentaria Logica ſcripſit. Fr. Leander Albertus lib. 4. de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, & ex eo Echardus, atque alii *Aſculanum* ſæculo integro antiquiorem faciunt. Hunc, opinor, excepit *Fr. Jo. Franciſcus Contarenus*, quem memorat Ingulfus de Comitibus ad annum MCCCCLXVI. pridie non. mart. quo die ſubſtitutus illi eſt ad menſes duos *Fr. Joannes Meocatellus*. Cum autem *Contarenus* ad diem non rediiſſet, & de ſchola aliis tribuenda ageretur, per litteras Ducales prolationem obtinuit, pollicitus, ſe propediem rediturum.

Sequitur *Fr. Franciſcus Securus de Neritono*, vulgo *Fr. Franciſcus Nardus*, conductus florenis LXXX. qui anno MCCCCLXXXIV. aucti ſunt ad CL. biennio autem poſt ad CC. ut ſenex optime meritus ad levanda itineris incommoda ædes Gymnaſio proximas conduceret, & alia vitæ neceſſaria ſibi compararet. De eo ſcribit Echardus T.I. & alii. Sed vitam illi vero breviorem tribuunt, ſucceſſoremque dant

circa

circa annum MCCCCLXX. *Fr. Joachimum Turrianum* virum præſtantem, quinque linguarum peritum. Revera *Turrianus* Metaphyſicam in Gymnaſio profeſſus eſt, ut & Sanſovinus narrat poſt Veneti Ducis Auguſtini Barbadici Vitam, ſed tamquam Subſtitutus, ut erat in more.

MCCCCLXXXIX. III. kal. oct. *F. Franciſcus Securus* de Neritono cum objiſſet, in locum ejus ſuffectus eſt *Fr. Valentinus Camers* de Peruſio, attributis florenis centenis, ſed non diu docuit.

MCCCCXCII. *Fr. Thomas de Vio* Cajetanus, qui poſtea Cardinalis fuit, admodum juvenis, ſcholam hanc obtinuit, atque anno poſt Theologicam Lauream. Sed cito Gymnaſium deſeruit. Nam quadriennio poſt Brixiæ docuit, & anno MCCCCXCVIII. in Ticinenſi Academia.

MCCCCXCV. Per hæc ferme tempora *Fr. Vincentius Merlinus* huc migravit ex Theologica ſchola ſtipendio flor. C. Ex Artium Statutis, quæ anno ſequenti refecta ſunt, typiſque edita, vol. 2. n. xx. colligitur, etiam Metaphyſicam ita fuiſſe diviſam, ut altera Thomiſtica diceretur, altera Scotiſtica.

MDII. idibus jul. *Merlino* ſucceſſit *Fr. Hieronymus de Hippolyto* Monopolitanus, vulgo *Hieronymus de Monopoli*, ex Ordine Prædicatorum, eodem ſtipendio. Triennio poſt Theologicam Lauream adeptus, & Collegio adſcriptus eſt. Anno MDVI. cum enixe auctarium peteret, nonis octobr. donatus eſt a Principe aureis Venetis XXV. ex mandato Collegii. Ingruente bello, rediit in patriam, ubi ſuorum Cœnobitarum Præſes electus eſt, anno autem MDVIII. Tarentinus Archiepiſcopus. Sed hoc ipſo anno deceſſit Viterbii; ejuſque exuviæ Venetias translatæ ſunt ad SS. Joannis & Paulli Cœnobium, cujus erat alumnus. Ejus opera habes apud Echardum T. II. p. 76.

DE METAPHYSICA LOCI SECUNDI,

Quæ Scotiſtica dicta eſt.

FR. *Antonius Trombetta*, al. *Tubetta*, Patavinus Minorita Conventualis, Scotiſtarum ætatis ſuæ princeps, anno MCCCCLXIX. conductus eſt ad Metaphyſicam ſcholam florenis LXXV. quibus quini & viceni additi ſunt anno MCCCCLXXXVI. rurſus autem quinquageni anno MCCCCXCII. cum jam, Metaphyſica bifariam diviſa, ipſe non ex inſtituto modo ſuo, ſed etiam ex Gymnaſii lege Scoti doctrinam traderet. Quarto ſæculi proximi anno conſtitutus Sedis Apoſtolicæ Commiſſarius & Viſitator, obtinuit a Senatu XVII. kal. maj. ut, quo tempore munus hoc exerceret, alius quidam ex ſuis, electus ab Epiſcopo & urbis Rectoribus, Scoti Metaphyſicam in Gymnaſio profiteretur, ea tamen conditione, ut ad penſum redeunti locus reſtitueretur. Rediit, perrexitque docendo uſque ad bellum, atque adeo gliſcente bello, quoquo modo potuit, uſque ad annum MDXI. quo accitus Romam Urbini Epiſcopatum obtinuit. Sed, eo poſtea dimiſſo, Patavium regreſſus eſt, titulo contentus Archiepiſcopi Athenienſis ſine re. Objit anno MDXVIII. De illo ejuſque operibus Scardeonius, & Papadopolus T. I. p. 295.

DE PHILOSOPHIÆ SCHOLA

Ad librum primum, ſecundum, & octavum Phyſicorum Ariſtotelis, duos de Generatione & Corruptione, tres de Anima, quatuor de Cælo & Mundo.

SÆculo primo, quo inſtitutum Gymnaſium eſt, quantum aſſequi conjectura poſſumus, nulla erat certa ratio, qua Philoſophiæ Profeſſores inter ſe diſtinguerentur, imo ne Al-

bum

bum quidem illud, qui Rotulus dicitur. Modo unus partem Philoſophiæ unam, alius aliam, modo idem partes plures, modo etiam Philoſophiam ſimul & Medicinam profitebatur; nec alia cura erat, niſi ut docendi tempora recte diſpertirentur. Inclinante ſæculo Gymnaſii ſecundo, & Rotulus inſtitutus eſt, & pro Rotuli ordine locorum diſtinctio, & rerum tractandarum partes ad copiam & celebritatem in plures ſcholas diviſæ. Sed quia Acta Gymnaſii omnia, vel fere omnia, uſque ad bellum ex fœdere Cameracenſi Venetis illatum, deſiderantur, nihil planum atque explicatum, niſi ab eo tempore, quo reſtitutum Gymnaſium eſt, dare poſſumus. Attamen ne ſpatium annorum tam longum ſilentio tranſmitteremus, excuſſis, quantum per nos licuit, privatis publiciſque tabulariis, colligere aliqua conati ſumus, quæ qualiacunque ſint, partim jam dedimus fide bona, partim dare aggredimur.

ANNO MCCCC.

Exeunte anno ſæculi hujus quinto, Patavii deditionem Venetus Senatus accepit, fide data, ſe jura municipalia omnia, præſertim vero Gymnaſium, ſervaturum. Nec ſervavit modo, ſed de amplificando & ornando ſalutaribus decretis ſtatim cogitavit. Itaque anno proximo & ſequenti Profeſſores Artium ac diſciplinarum celeberrimos, magnis propoſitis ſtipendiis, undique invitavit. Ad Philoſophiam tradendam anno MCDVII. revocatus eſt ſtipendio argenteorum DC. *Jacobus a Turre* Forolivienſis, vulgo *Jacobus de Forlivio*, qui ſub Carrarienſibus ſæculo ſuperiore docuerat. Ad ſummam nominis famam cum perveniſſet, objit anno MCDXIII. pridie id. febr. In Actis Collegii Medici ejus nomen recenſetur inter Promotores uſque ad anni finem, pro more ejus ætatis, quæ in juventute promovenda ad Gradus Academicos Profeſſorum etiam abſentium, & mortuorum rationem habebat, donec alii in eorum

locum

locum ſufficerentur. Tritemius, & Albertus Fabricius *Jacobum* floruiſſe ſcribunt anno MCDXXX. hoc eſt ab ipſius interitu ſexto decimo. Hiſtorici noſtri eum cum *Roncalitrio* conjungunt, & ſæculo vetuſtiorem faciunt. In ſepulchri titulo apud Eremitanos dicitur *Forlivias*. Scardeonius perperam legit *Forlivius*, qui error late propagatus effecit, ut qui poſtea de eo ſcriberent, non *Foroliviatem*, aut *Forolivienſem* nominarent, ſed *Forolivium*.

Eodem anno pridie id. ſept. conductus eſt ad Philoſophicam ſcholam regendam argenteis CCXV. *Blaſius de Pelacanibus* Parmenſis, qui in Actis Collegii Medici pag. II. dicitur *omnium liberalium artium Doctor*, & in Actis Curiæ Epiſcopalis anni MCDXI. pridie kal. ſextil. *famoſiſſimus omnium liberalium artium Doctor & Monarcha*. Attamen eodem anno idibus octobr. dimiſſus eſt, quod minus aptus ad docendum videretur, ejuſque ſchola auditoribus careret; ut eſt in Tomo I. Decret. pag. 5. Nec vero deſunt exempla ſimilia, ex quibus apparet, quantum fidei Elogiis iſtiuſmodi ætati illi familiaribus tribuendum ſit. Etiam *Daniel a S. Sophia* primariis hujus anni Philoſophis accenſetur, conductus argenteis ducenis. Papadopolus addit ſenem Medicum *Joannem a S. Sophia*; eumque ait ſe Philoſophum facere ex Profeſſorum catalogis, qui catalogi nunc certe non extant. Fortaſſe id conjecit non ſine ratione ex ſepulchri indice, ubi dicitur non ſolum Medicus, ſed etiam *Artiſta*, & quidem *eximius*. Mortuus eſt anno ſæculi decimo.

MCDXIX. *Sigiſmundus de Polcaſtris* Patavinus Philoſophiæ ſcholam Ordinariam ſtipendio regebat argenteorum LX. cum triennio poſt in Medica facultate probari voluit, & ad Medicinam tradendam tranſire. Sed anno MCDXXVI. revocatus eſt ad Philoſophiam, ut locum occuparet *Ludovici de Pirano*. Attamen anno ſequenti rurſus migravit ad Medicos, ut refert Ingulfus de Comitibus.

MCDXXII. *Antonius de Acelo* XII. kal. decembr. condu-

ctus

ctus eſt ad ſcholam Philoſophiæ naturalis Ordinariam argenteis quadragenis. Jam ſexennio ante commendatus fuerat per litteras Franciſci Barbari Paullo Corrario Prætori Patavino, ut in *Gymnaſii Reformatione* ejus ratio haberetur. In iis autem litteris dicitur civis Tarviſianus, Phyſicus, & Medicus. Eodem tempore *Joannes Calderia* Venetus, cum adhuc inter ſcholares eſſet, Phyſicæ Extraordinariæ ſcholam obtinuit regendam argenteis vicenis. Initio anni ſequentis orationem habuit Univerſitatis nomine ad ſtudia de more auſpicanda, eamdemque operam Univerſitati præſtitit anno poſt. Artiſtarum Rector electus, functuſque egregie annali munere, ad docendum rediit; ejuſque nomen inter Promotores toto anno MCDXXX in Actis reperitur. De illo Fr. Joannes de Auguſtinis T. 2. ſcript. Venet. Ipſe quoque *Philippus de Tarviſio*, qui ante annos undecim Univerſitatis Rector fuerat, Philoſophiam Ordinariam hoc anno in ſcholis tradebat; ut eſt in MS. Urſatorum Codice.

MCDXXV. Hoc & duobus ſequentibus annis referuntur inter Promotores *Hieronymus a S. Sophia*, *Franciſcus de Lido*, & *Joannes de Dondis ab Horologio* junior. Utrum docerent, in medio relinquo.

MCDXXX. *Cajetanus Tienæus* Vicetinus, Patavinæ Eccleſiæ Canonicus, qui Logicam annis ſuperioribus in Gymnaſio profeſſus fuerat, x. kal. oct. traductus eſt ad Philoſophiam Ordinariam, attributis argenteis LX. eamque tradidit ex loco primo, ingenti auditorum frequentia & æmulatione. Cum in Medicina quoque probatus fuiſſet, oblata illi Theoricæ Extraordinariæ ſchola eſt anno MCDXXXVI. Sed maluit inter Philoſophos manere. Hic primus, niſi fallor, obtinuit ut Principis juſſu Medicorum & Philoſophorum Collegio aſcriberetur, unde exemplum manavit ad poſteros. Litteræ Ducales hac de re anni MCDXLV. xv. kal. nov. referuntur ab Ingulfo de Comitibus. Anno MCDLIII. abeundi veniam obtinuerat; ſed poſtmodum revocatus eſt, additis ejus ſtipendio

dio argenteis quinquagenis. Quadriennio poſt cum primum Philoſophiæ Ordinariæ locum teneret, argenteis merebat ducenis. Obiit anno MCDLXV. ut colligitur ex decreto, quo illi ſucceſſor datus eſt *Chriſtophorus Recinetenſis*. De illo, ejuſque operibus Tomaſinus in Elogiis T. 2. p. 34. Primus Averroi auctoritatem in Gymnaſio Patavino conciliaſſe dicitur, ejus Commentaria in philoſophando unice ſecutus.

MCCCCXXXII. *Mag. Ludovicus de Pirano*, S. Theologiæ Doctor, cum ad regendam Theologicam ſcholam ab Univerſitate fuiſſet electus, aſſignato ſtipendio, nec Senatus electionem probaſſet, rediit ad Philoſophiam, quam decem ante annis deſeruerat.

MCDXXXIV. *Fr. Julianus de Sicilia* ex ordine Eremitarum, & *Andreas de Nola* ad Phyſicam Ordinariam; *Blaſius* autem *de Monteferrato*, & *Jo. Ludovicus de Radicibus* ad Extraordinariam electi dicuntur in antiquis Rotulis apud Tomaſinum p. 156. & 158. Ibidem porro *Fr. Joannes de Campo Sancti Petri* ex ordine Prædicatorum ab Aſtrologia ad Naturalem Philoſophiam traductus apparet biennio poſt.

MCDXLI. *Paullus a Flumine*, Boni filius, al. *Bagellardus*, prima ætate Philoſophiam in Gymnaſio profeſſus eſt, poſtea Medicinam, ut ſcribit Scardeonius. V. Medicos.

MCDXLVI. *Joannes de Marcanova* Venetus, cum Philoſophiam profiteretur argenteis XX. ſtipendium ejus hoc anno duplicatum eſt. Sex ante annis Artium & Medicinæ Lauream adeptus, Patavino Collegio aſcriptus fuerat extra ordinem. Hinc cœpit ſe Patavinum vocitare. Anno MCDLIII. III. non. mart. Promotor adhibitus ad Lauream Ludovici Donati, dicitur Ordinariæ Philoſophiæ Profeſſor. Secutus eſt etiam antiquitatis Studium, & de hoc quidem genere non pauca ſcripſit. Bononiæ quoque docere voluit; unde cum rediiſſet, in patria objit anno MCDLXVII. Papadopolus eum refert inter Gymnaſii alumnos. De illo poſt alios multos ſcripſit Zenus in Diſſert. Voſſianis T. I. n. XXVIII.

MCDXLVI. *F. Joannes* ex Ordine S. Franciſci electus eſt ad Philoſophiam extraordinariam v. id. dec. ut refert Ingulfus de Comitibus.

MCDL. *Petrus de Roccabonella* Venetus Philoſophiam per hæc tempora profitebatur, ut refert Riccobonus l. I. de Gymn. c. 13. Biennio poſt inter Collegii Philoſophos receptus eſt, anno autem MCDLV. etiam inter Medicos.

MCDLVIII. *Franciſcus Contarenus*, Nicolai filius, Patr. Venet. nonis ſextil. electus eſt ad regendam ſcholam Philoſophiæ ſecundam, quam deſeruerat *Cajetanus Tienæus* ad primam translatus, ut eſt in ſchedis Ingulfi de Comitibus. Sed hoc ipſo anno Legatus miſſus eſt ad Pium II. P. M. reip. nomine. Scripſit de rebus in Hetruria geſtis a Senenſibus Venetorum ſociis adverſus Florentinos; quibus rebus ipſe quoque Legatus interfuit; & alia, quæ Zenus recenſet in Diſſert. Voſſ. T. I. n. XXXVIII. Deceſſit anno MCDLX. Perperam confundi ſolet cum *Franciſco Contareno* Presbytero, qui cum eſſet Artium ſimul ac Decretorum Doctor, anno MCDLI. Theologiæ quoque Lauream obtinuit, & poſt quadriennium Epiſcopus Æmonienſis creatus eſt, objitque anno MCDLXXXV.

MCDLX. *Odomatthæus de Catonibus* Urbinas, qui quadriennio poſt Univerſitatis Rector fuit, circa tempora hæc Dialecticam & Philoſophiam profitebatur, ut colligitur ex ejus diplomate Laureæ Medicæ, quod adhuc extat.

MCDLXII. *Chriſtophorus Recinetenſis*, qui Ordinariam Philoſophiam ex loco ſecundo tradebat ſtipendio argent. XC. hoc anno VII. kal. jul. obtinuit præterea ſexagenos MCDLXIV. Medicorum Collegio aggregatus eſt decreto Senatus, in quo dicitur *ſummus Italiæ Philoſophus*. Anno poſt, mortuo *Cajetano Tienæo*, progreſſus eſt ad locum primum, adjectis ſtipendio ejus argenteis ducenis. Poſtea tranſiit ad Medicos. Hoc tempore *Nicolaum Leonicenum* Vicetinæ ditionis, Græce Latineque doctum, in Gymnaſio docuiſſe ſcribit Papadopolus, & quidem per annos tres. Ex Egnatii ad *Nico-*

laum ipſum epiſtola non temere conjicit: quod autem ex albis Gymnaſticis confirmat, fides ſit penes ipſum. Certe per annos ſexaginta Ferrariæ docuit Philoſophus, Medicus, & Mathematicus, ibique mortuus eſt anno MDXXIV. nonagenario major. Plurima ſcripſit, quæ refert Borſettus P. II. l. 1. pag. 61. Adde his, multa illum ex Galeno, ex Hippocrate, & Ariſtotele Latina feciſſe; primumque, ut ſcribit Joſephus Scaliger epiſt. 19. Philoſophiam & Medicinam cum humanioribus litteris conjunxiſſe.

MCDLXV. *Joannes Saracenus* Pariſienſis electus eſt ad ſecundam Philoſophiæ Ordinariæ ſcholam, ut eſſet Collega & antagoniſta *Chriſtophori Recinetenſis*, qui hoc ipſo anno aſcenderat ad primam.

MCDLXVI. *Nicolaus*, vulgo *Nicolettus*, *Vernias* Theatinus, quem *Verniam Thienæum* vocat Papadopolus, ad Philoſophiam Ordinariam ſcholæ primæ profitendam conductus eſt. Cum magnam doctrinæ famam ſibi comparaſſet, anno MCDLXXI. petente Anello de Arcamone Ferdinandi Regis Neapolitani Legato, exemptus eſt ab annali Univerſitatis judicio, & Senatus auctoritate confirmatus. Anno MCDLXXXII. quaſi parem in diſputando haberet neminem, obtinuit ut ſine antagoniſta doceret. Sed quinquennio poſt accuſatus a Scholaribus ipſis, quod æmulationis periculum ignavia vitaret, coactus eſt cum Collega diſputando certare. Stipendium ejus iterum ac ſæpius auctum, anno MCDXCI. crevit ad flor. CCCLXV. Quadriennio poſt rurſus obtinuit, ut ſine antagoniſta & concertatore ſcholam matutinam regeret; rexitque uſque ad annum ſæculi pænultimum, quo mortuus eſt. Egregie ſcripſit de animæ humanæ immortalitate; animaſque plures eſſe demonſtravit pro hominum numero, non unam; quod Averroes cenſuit, & *Vernias* ipſe interpres ejus ſuperioribus annis inconſulto docuerat. Reliqua ſcripta ejus recenſet Papadopolus T. I. p. 291.

Comes Facinus ſub anni finem ſuperioris conductus eſt

ad

ad Philoſophiam Ordinariam loci ſecundi flor. LXXXVII. cum dimidio. Sed quadriennio poſt Legatum Venetum ſecutus, ſubſtituit *Gabrielem Zerbum* Veronenſem, qui ſuo nomine doceret. Cum redjiſſet anno MCDLXXV. Subſtituti nomine ipſe quoque contentus ſcholam occupavit *Roccabonellæ*, qui rurſus ad Medicos tranſierat, impetrato ſtipendio argent. C. quibus duodeni additi ſunt ſexennio poſt, cum jam Profeſſor declaratus fuiſſet.

Promotores inveniuntur per hos annos ad Artium examina *Hieremias* Utinenſis, *Ludovicus de Malatinis*, *Simeon de Marinis* Atheſtinus, & *Franciſcus de Bonarrighiis*.

MCDLXX. *Hieronymus de Polcaſtris*, *Sigiſmundi* Profeſſoris filius, qui paucis ante menſibus Medicinæ Lauream obtinuerat, commendante Patre, Philoſophiæ Profeſſor VI. id. oct. declaratus eſt, ita tamen ut tertiarum partium eſſet, & ſtipendii nomine centena haberet ex trecenis, quæ Patri præbebantur. Illud inſuper conceſſit illi Senatus, ne ſcholarium judicio & ſuffragiis ſubjiceretur. Mortuo Patre anno MCDLXXIII. V. id. dec. confirmatum illi ſtipendium eſt verbis tum ipſi, tum paternæ memoriæ honorificentiſſimis. Et ne ad exemplum traheretur, declaravit Senatus, totum id non ſcholæ, ſed perſonæ condonari. Anno MCDLXXXII. ad locum primum Philoſophiæ Ordinariæ migravit, ut *Joannis Jacobi de Puteo* antagoniſta eſſet. Quinquennio autem poſt tranſiit ad Extraordinariam, quæ illi confirmata eſt anno MCDXCI. *dummodo quotidie legeret, & ſubjaceret punctis, prout alii legentes in Gymnaſio ſubjacent*, ut eſt in decreto XII. kal. dec. Anno ſequenti translatus eſt ad Medicos.

MCDLXXI. *Jacobus Ragazzonius*, al. *de Ragazzonibus*, Philoſophiæ Profeſſor cum eſſet, ſuæ claſſis nomine miſſus eſt Venetias ad gratulandum novo Duci Nicolao Trono. Ejus oratio adhuc extat. Sed Poetica laude in primis floruit. De illo Fr. Joannes de Auguſtinis in T. I. de Script. Venet.

MCDLXXV., *Antonius Cornelius* Patric. Venetus Philoſophiam per hæc tempora Patavii profeſſus eſt, poſtea Venetiis. A Sabellico dicitur *excellenti doctrina moribuſque inter veteres Philoſophos merito reponendus*. Quædam etiam ſcripta reliquit de Philoſophiæ prænotionibus, de forma corporis, de Motore primo. De illo Auctor Diarii Litterarii Veneti T. V. p. 360.

MCDLXXVI. *Laurentius Roverella* Ferrarienſis *Cajetano Tienæo* ſuffectus dicitur apud Papadopolum T. I. p. 289.

MCDLXXVII. *Jo. Jacobus de Puteo* Feltrinus, *Belletus* de Monteſilice, *Franciſcus de Turricellis*, *Andreas Triviſanus*, *Albertus de Curte* his temporibus recenſentur inter Promotores, modo unus, modo alius, modo plures ſimul. Primus porro Philoſophiæ Profeſſor ſine controverſia erat; ſed, ut videtur, extra ordinem; anno autem MCDLXXXII. pridie kal. ſept. progreſſus eſt ad ſcholam hujus claſſis Ordinariam, & cum *Hieronymo de Polcaſtris* diſputare juſſus.

MCDLXXXI. *Petrus Trapolinus* Patavinus ex Vico Ageris, unde nomen ſumpſit nobiliſſima ex noſtris familia, quæ in ejus bona jure ſanguinis ſucceſſit, cum Philoſophiam Ordinariam loci ſecundi profiteretur flor. CXII. anno MCDXCI. additi ſunt ſtipendio ejus præterea XXV. Anno autem poſt cum tranſire ad Ferrarienſe Gymnaſium vellet, rurſus auctum illi ſtipendium eſt ad flor. CC. Poſtea traductus eſt ad Medicinam. V. *Medicos*.

MCDLXXXVII. Poſtridie kal. oct. *Hieronymus Muſſatus*, & anno ſequenti pridie kal. maj. *Hieronymus a Mula* inter Artium Promotores numerantur. Sed alter quidem ſæpe alias uſque ad ſæculum proximum.

MCDLXXXVIII. *Petrus Pomponacius* Mantuanus, vulgo *Perettus de Mantua*, litteris in hoc Gymnaſio artibuſque imbutus, hoc anno acceſſit ad profitendam extra ordinem Philoſophiam, ut antagoniſta eſſet *Alexandri Achillini*, qui quadriennio ante in Gymnaſium venerat, & magno cum plau-

ſu

ſu audiebatur. Argenteis conductus eſt quinquagenis, qui poſt annos quatuor aucti ſunt ad octogenos, tum autem brevi intervallo ad centenos. Anno MCDXCV. cum *Nicolaus Vernias* ſine antagoniſta ex Principis indulgentia doceret, ne claſſis hæc diſputationibus careret, quæ Profeſſorum & ſcholarium æmulationes alebant, ipſe evectus eſt ad primam Philoſophiæ Ordinariæ ſcholam, ut cum *Auguſtino a Sexo*, ſcholæ ſecundæ Profeſſore, diſputando certaret. Sed anno ſequenti ad Bononienſes migravit. Elapſo vix triennio, revocatus eſt argenteis CLXXX. qui paullo poſt aucti ſunt, creſcente in dies magis fama ejus, ad CCCL. Eodem tempore Univerſitatis judicio exemptus eſt; additumque decreto, ut quilibet Profeſſor, qui per quinquennium meruiſſet argenteis quinquagenis, vel pluribus, eodem beneficio frueretur. Anno ſæculi proximi ſeptimo verbis valde honorificis confirmatus obtinuit argenteos præterea vicenos. Sed biennio poſt, ingruente bello, Bononiam rediit, ubi deceſſit anno MDXXVI. ſenectute adhuc viridi. Princeps habitus eſt ævi ſui Philoſophus: ſed modus ejus philoſophandi in gravem incidit impietatis ſuſpicionem, quod Alexandri Aphrodiſienſis placita ſecutus, in explicanda animorum natura nimis Peripateticus eſſet, ideoque videretur de illorum immortalitate dubitare. Voce ſe ſcriptiſque purgare conatus eſt; litteris autem præſertim ad P. Savellum Dominicanum datis editiſque omnem ferme ſuſpicionem amovit. Verum, quia labes iſtiuſmodi facilius arcentur, quam eluuntur, adhuc apud quoſdam *Pomponacii* fama laborat. De illo Jovius diſcipulus in Elogiis, & Niceronus in T. xxv. ubi opera ejus omnia, & quædam etiam adverſus illum recenſet.

MCDXCII. *Auguſtinus a Sexo*, al. *de Seſſa*, ad Philoſophiam Extraordinariam loci ſecundi conductus eſt argenteis LXXX. unde ad Ordinariam migravit triennio poſt. Abeunte anno ſequenti *Pomponacio*, ad locum primum promotus eſt, additis ſtipendio ejus argenteis denis. Poſtea diſceſſit. Sed re-

vocatus

vocatus eſt anno MCDXCVIII. ſtipendio argenteorum CXX. Attamen, anno vertente, rurſus abiit. Cum illo, & paullo poſt illum memorantur inter Promotores *Proſdocimus Baldus*, *Gelaſius Saracenus*, *Franciſcus de Paſinis*.

MCDXCIII. *Hieronymus de Avantiis* Veronenſis Philoſophus hujus anni primarius vocatur a Monteroſſo. Triennio poſt ſcholam rexit Ordinariam, ut colligitur ex Laureæ diplomate, quæ Leonardo Muſuro collata eſt. De illo Maphejus de Script. Veron. l. 4. & Mazzucchellus in ſuo Lexico. Ex eadem domo exiit *Michael de Avantiis*, de quo dixi in claſſe Juriſconſultorum an. MDV.

MCDXCVI. *Antonius Fracantianus* conductus eſt XIV. kal. nov. ad Philoſophiam Ordinariam loci ſecundi argenteis octogenis, cum anno ſuperiore in ſchola Extraordinaria Subſtituti titulo docuiſſet. Ter auctum ſtipendium ejus crevit ad argenteos CLXXX. anno autem ſæculi proximi ſexto mortuus eſt. Hoc tempore multi memorantur Promotores ad Artium examina adhibiti, *Bernardinus Paganinus*, *Julianus Caſtagnola*, *Aurelius Bonettus*, *Ludovicus de Carraria*, *Bernardus a Flumine*, *Bernardinus de Bonarrighiis*, *Alexander Porcellinus*, *Hieronymus Accorambonus* Eugubinus. Nullum eorum docuiſſe conſtat præter *Accorambonum*, qui in Actis IV. non. mart. dicitur *Philoſophiam Extraordinariam legens*. Poſtea migravit ad Medicos.

MCDXCVII. *Nicolaus Leonicus de Tomæis* Epirota, adoptione Venetus, pridie kal. april. munus ſuſcepit, & quidem primus in hoc Gymnaſio, Philoſophiæ ex Græcis Ariſtotelis & Platonis ſcriptis explicandæ, ita poſtulante Univerſitate. Sed anno ſæculi ſequentis quarto III. kal. octobr. demigravit, Venetias accitus ad Græcas Latinaſque litteras tradendas; ibique mortuus eſt v. kal. april. MDXXXI. ut ſcribit ad Victorem Superantium Petrus Bembus, qui honorariam amico inſcriptionem biennio poſt in Franciſcana hujus urbis baſilica poni curavit. Papadopolus ſcribit ſua quadam conjectu-

jectura ductus, *Patavii Leonicum objiſſe anno MDXXXIII. cum ſibi ipſe valetudine integra mortem prædixiſſet; ad D. Franciſci ædem fuiſſe ſepultum; Gymnaſticam juventutem egregio comitatu, ut amoris teſtimonium ederet, funus duxiſſe; Bembum epigraphen tumulo addidiſſe.* Tam multa ad veri ſpeciem ſcite compoſita Fabricium & alios fefellerunt: neque tamen credibile eſt, ſapientem virum, qualis certe fuit Papadopolus, temere compoſuiſſe.

Auguſtinus Niphus Calaber, & Sueſſanus, ut ipſe ſe interdum uxoris gratia vocat, hoc tempore Philoſophiæ Ordinariæ apud nos Profeſſor fuit. Poſtea ſponte abiit, ut per alias quoque Univerſitates nominis ſui famam circumferret. Habitus eſt enim inter Philoſophos ejus ævi doctiſſimos, quamvis non ſatis cultus. Plurima ſcripſit, quæ ſingillatim recenſet Niceronus in T. 18. p. 52. & ſeqq. Dictus eſt honoris gratia modo *Eutychius*, modo *Philotheus*, modo *ſæculi ſui Ariſtoteles*. Obiit anno MDXLV. ejuſque opera omnia collecta ſunt, atque edita Venetiis quadriennio poſt voluminibus ſex. Ætate illa in deliciis habebantur, nunc jacent pulvere obſita. Liber ejus *de Intellectu* turbas excitavit, quod Averroi nimis adhæreret, unamque omnium hominum animam rationalem admittere videretur. Caſtigatum edidit anno 1492.

Anno ſæculi hujus ultimo, & ſequentis primo in Promotorum numero ad Academicos Artium gradus memorantur *Jo. Antonius Schotius* Neapolitanus, & *Tiberius de Bazeleriis* Bononienſis, Philoſophiæ Extraordinariæ Profeſſores; ſecundo, & tertio *Onufrius Fontana* Ordinariæ, & *Bernardinus Plumatius* Extraordinariæ: Promotores autem abſque ſcholæ titulo *Nicolaus Noalius*, *Jo. Baptiſta de Barzizis*, *Hieronymus de Felicibus*, *Jo. Baptiſta a Galta*, *Hieronymus Bradiolus*, *Jo. Baptiſta de Leone*.

Etiam anno ſæculi quarto plura inveniuntur Promotorum nomina, quam Profeſſorum, *Franciſcus Carrerius* XII. kal. jun.

jun. *Jacobus Borromeus* III. id. jun. *Hieronymus de Covatis* x. kal. jul. *Thaddæus Muſſatus* VII. kal. ſextil. una cum *M. Antonio de Ponte*, *Michael de Albano* pridie kal. ſextil. *Franciſcus Trambachinus*, & *Antonius de Fantis* XII. kal. jan. Sed hic quidem in Actis Curiæ Epiſcopalis, ubi Artium examina referuntur, dicitur *publice legens*.

MDV. *Bartholomæus a S. Sophia* junior Philoſophiæ ſcholam Ordinariam regebat, ut eſt in Actis Collegii IV. kal. ſextil. Hunc Scardeonius obiiſſe ſcribit anno ætatis vigeſimo octavo, non ſine magno Academiæ & univerſæ civitatis dolore, quod ſummam de ſe moviſſet expectationem. Adde hujus anni Promotoribus *Marcum Diſcalcium*, *Benedictum de Oddis*, *Franciſcum ab Equis*, & *Carolum de Janua*.

MDVI. *Alexander Achillinus* Bononienſis, diſputator acerrimus, qui ante annos duos & viginti in hoc Gymnaſio fuerat Philoſophiæ extra ordinem Profeſſor, nunc rurſus ex patria Academia VII. id. nov. evocatus eſt argenteis CCL. ad ſecundam Philoſophiæ Ordinariæ ſcholam, cum *Pomponacius* vetus antagoniſta primam teneret. Biennio poſt diſceſſit, ut apparet ex decreto anni MDVIII. v. non. oct. quo illi reliqua petenti ſolvi jubentur. Obiit in patria anno MDXXV. Eminentiſſimus Philoſophus vocatur a Geſnero, & ſane fuit pro modo philoſophandi ejus ætatis, qua ſcholaſticæ concertationes in pretio & admiratione erant; tantique habebantur Profeſſores, quantum interrogando ac reſpondendo valebant. Subtilia vincendi cupiditate quærebantur non a Philoſophis modo, ſed etiam a Theologis, intra tamen vetuſtæ doctrinæ & eruditionis fines: poſteriores variandi ſtudio nova potius quærere cœperunt. Utri melius?

MDIX. *Marcus Hydruntinus* conductus eſt ad Philoſophiam Extraordinariam argenteis XLVII. eodemque anno datus eſt illi collega in ſchola ſecunda *Fr. Albertus de Florentia* argenteis vicenis, totidemque in tertia *Franciſcus Fornaſerius* Patavinus, ut eſt in libris Quæſtoriis; qui, elapſo majo, pro-

propter bellum Reipublicæ illatum clauſi ſunt. Ceterum cum Collegia belli quoque tempore aperta eſſent, Promotores inveniuntur ad regenda Artium examina *M. Antonius Triviſanus*, *Bartholomæus Bariſonus*, *Hieronymus de Rubeis*, *Auguſtinus a Flumine*, *Petrus de Oddis*, *Franciſcus Eſtenſis*, *Hieronymus Maripetrus*, *Matthæus a Volta*, *Hieronymus Tolentinus*, *Bartholomæus a S. Vito*, *Ludovicus Paſinus*, *Franciſcus Maurocenus*, *Hieronymus de Urbino*, *Martinus de Mantua*, *Nicolaus Paſſera*, vulgo *Genua*, qui in ſchedis Monteroſſi ad annum MDXII. dicitur *Promotor in Artibus*, & *Profeſſor*.

DE LOGICÆ SCHOLA.

Ad librum primum & ſecundum Poſteriorum Analyticorum Ariſtotelis.

SÆculo quintodecimo Logicæ ſcholæ auſpicia præbuit *Fr. Paullus Nicoletti* Forojulienſis, vulgo *Paullus Venetus*, quod Veneti Eremitarum cœnobii alumnus eſſet. Cum præter Theologicam Lauream Philoſophicam quoque retuliſſet, anno MCDVIII. receptus eſt inter eos, qui ad Academicos Artium gradus juventutem promovent: biennio autem poſt examinatus eſt in Arte Medica, & ejus inſignibus ornatus. Anno MCDXI. idibus oct. datus eſt illi Collega & antagoniſta *Antonius de Urbino*, ut eſt in Tomo I. decret. p. 5. Obiit anno MCDXIX. & funebri oratione laudatus eſt a Petro Alvaroto Juris Civilis Profeſſore. In Actis Gymnaſii dicitur *Doctor profundiſſimus*, *omniumque liberalium Artium in orbe Monarcha*. Logicam edidit, quæ tanti habita eſt, ut publice prælegeretur. Reliqua ejus opera vide apud Papadopolum, a quo tamen numeratur inter Gymnaſii non Profeſſores, ſed Alumnos. Vide etiam Oudinum de Script. Eccleſ. T. III. p. 2332.

MCDXXII. *Joannes de Fornace*, al. *de Fornacibus*, Ve-

netus ad Logicæ ſcholam conductus eſt argenteis XXX. Artium gradus non obtinuit niſi quinquennio poſt, ut apparet ex Actis Coll. Med. p. 38. Tum probatus eſt in Medicina quoque, & ad Medicos Profeſſores translatus.

Eodem anno Logicæ Profeſſor declaratus eſt Joannes *de Sicilia*, aſſignato ſtipendio argent. X. Sed non docuit ultra menſes tres. Succeſſor illi datus eſt *Cajetanus de Vincentia* (ita enim vulgo dicebatur *Cajetanus Tienæus*) qui anno MCDXXX. tranſiit ad Philoſophos.

MCDXXX. *Fr. Jo. Baptiſta* ex Eremitis S. Auguſtini x. kal. ſept. conductus eſt argenteis XV. adjecta mantiſſæ loco Morali Philoſophia, ut eſt in Tomo I. Decret. p. 11.

MCDXXXIV. *Fr. Nicolaus de Tarviſio*, Bachalarius ex Eremitarum Ordine, Logicæ Profeſſor dicitur in Rotulo hujus anni apud Tomaſinum p. 156.

MCDXXXV. & ſeq. Logicam profeſſus eſt *Dominicus de Dominicis* Venetus, Licentiatus in Artibus. Hinc poſtea cum demigraſſet, ſtudiis ſe Theologicis dedit primum Bononiæ, deinde Romæ: tum Capitulo adſcriptus eſt Civitatis Auſtriæ, deinde Epiſcopus Torcellanus creatus, denique Brixianus. Multa ſcripſit, quorum catalogum dedit Cardinalis Quirinus in Epiſtola 3. ad Benedictum XIV. P. M. de Brixianis Epiſcopis. Obiit anno MCDLXXVIII.

MCDXLI. v. id. oct. electus eſt ad Logicæ ſcholam *Baramontes de Verona*, & novem poſt annis pridie non. ſept. *Fr. Auguſtinus de Patavio*, ut refert Ingulfus de Comitibus.

MCDLXXXVII. conductus eſt *Laurentius a Molino* Rhodiginus, qui commentarium ſcripſit in Averroem, & Ægidium. Hoc autem anno III. kal. jan. decrevit Senatus, ut Logicæ ſchola, in qua Tisberi Sophiſmata explicabantur, cum vacaret, nulli amplius, ipſo inconſulto, aſſignaretur. Diſputandi libido, quæ his temporibus dominabatur, effecerat, ut plures eſſent in Gymnaſio Logicæ ſcholæ, auctoreſque iſtiuſmodi prælegerentur, ad eam fovendam idonei.

MCDXCIV.

MCDXCIV. *Benedictus Tiriaca* Mantuanus, cum adhuc inter Scholares eſſet, ad Logicam profitendam electus eſt. Hoc ipſo anno exeunte, probatus eſt in Artibus: ſub initium autem ſæculi proximi ad Aſtrologiam ſe contulit.

MCDXCV. *Hieronymus Allia* Tarviſianus teſtis affertur in examine *Vincentii Tuſci*, ad Moralem tradendam Philoſophiam electi, diciturque Logicæ Profeſſor.

MCDXCVIII. *Julius Bravus*, & *Alexander Saccus*, Veronenſes, probantur in Artibus, & ad Logicam in Gymnaſio profitendam deſtinati dicuntur.

Circa tempora hæc docuiſſe *Andream Turinium* Peſcienſem, ſcribit Placidus Puccinellius in Peſcienſibus monumentis. Poſtea in aliis Gymnaſiis Medicinam profeſſus eſt, multaque hujus generis ſcripſit, quæ recenſet Fabruccius in T. 50. Opuſcul. Venet. p. 85.

MDI. *Jo. Franciſcus Burana* Veronenſis, qui anno ſuperiore Lauream cepit, promovente *Hieronymo Suriano* Patr. Ven. Logicæ Profeſſore, ut dicitur in Actis, hoc anno docere cœpit. Primus in Latinum ſermonem vertit Priora Ariſtotelis Analytica, & commentariis illuſtravit. Vertit etiam ex Hebræo, ut in editione Veneta 1539. vel potius ex Arabico Averrois Compendium, & Expoſitionem Roſadis in Poſteriora. De illo Maphejus in Ver. illuſtr. l. 3. p. 126. Eodem anno *Franciſcus Trapolinus* ad Logicam profitendam electus, pridie non. oct. Artium inſignia recepit a Petro Trapolino patre. Triennio poſt migravit ad Philoſophiam tradendam extra ordinem; anno autem MDVI. x. kal. nov. tranſlatus eſt ad Medicos. Poſtea Florentiæ docuit, & mortuus Romæ eſt, ut ſcribit Scardeonius.

Cum *Burana* porro & *Trapolino* anno ſæculi primo memoratur etiam *Bernardinus de Verona*, & Logicæ Profeſſor dicitur in examine *Marci Faellæ* Veronenſis, Philoſophiæ Moralis Profeſſoris.

MDII. *Hieronymus Fracaſtorius* Veronenſis vix Artium

P 2 Lau-

Lauream adeptus Logicam in Gymnaſio profiteri cœpit. Sed paucis poſt annis receſſit gravioribus ſtudiis addictus. Nulli ſe porro ſtudiorum generi dedit, quin ſummopere excelluerit, Poeta, Philoſophus, Medicus, Aſtronomus ſuæ ætatis longe primus. De illo, ejuſque ſtudiis, & operibus Maphejus in l. 4. Veronæ illuſtr. pag. 178.

MDIII. *Bartholomæus a S. Sophia* ad Logicæ ſcholam conductus Lauream cepit VII. kal. nov. Sed cito aſcendit ad Philoſophiæ ſcholam Ordinariam.

MDIX. *Sebaſtianus de Bergomo* conductus eſt ad primum Logicæ locum, & *Nicolaus* de *Florentia* ad ſecundum, uterque florenis XXXV. *Aurelius Bonettus* Patavinus ad tertium florenis X. Sed omine minime bono; quandoquidem hoc ipſo anno intermiſſa publica ſtudia ſunt propter bellum.

DE ASTROLOGIA.

SÆculo quintodecimo nullum Aſtrologiæ Profeſſorem invenio ante *Proſdocimum de Beldimando*, qui ſcholam hanc regebat anno MCDXXII. ſtipendio argenteorum XL. ut eſt in libris Quæſtoriis. Biennio poſt quædam emiſit Geometrica, & Aſtronomica; poſtea vero ſcripſit etiam de Arithmetica. Opera hæc a *Cando* ejus nepote collecta nunc extant MSS. in bibliotheca Jacobi Superantii Patr. Veneti Cod. 1033. Commentaria ejus in Sphæram Joannis a Sacrobuſto edita ſunt Venetiis anno 1531.

MCDXXXIV. *Candus de Cando* ex Rotulo, quem ait Tomaſinus p. 155. ſe ex Actis Univerſitatis deſcripſiſſe. Idem *Candus*, ut eſt ibidem, eodem tempore profitebatur Medicinam Practicam Extraordinariam. Obiit anno MCDXLVII. Non una porro erat Aſtrologiæ ſchola. Nam anno MCDXXXV. *Fr. Joannes de Campo Sancti Petri*, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſter, Aſtrologiam tradebat diebus feſtis; anno autem ſequenti cum ad Philoſophiam tranſiſſet, ſuffectus

eſt

eſt in locum ejus per Univerſitatis ſuffragia *Fr. Antonius de Padua* Artium & Medicinæ Doctor.

MCDXLV. *Georgius Peurbachius* Noricus circa hæc tempora Bononiæ primum, deinde Patavii publice docuit, ſed velut in tranſitu, inquit Gaſſendus, ut Italicam juventutem magis magiſque ad hæc ſtudia excitaret. Hinc ad Viennenſem Academiam contendit, ubi Aſtronomiæ ſcholam aperuit, rexitque uſque ad extremum ætatis ſuæ diem. Aſtronomicæ diſciplinæ inſtaurator habitus eſt; multaque ſcripſit, de quibus idem Gaſſendus in ejus Vita T. V. p. 519.

MCDLXIII. *Joannes Mullerus* ex Regiomonte Franconiæ, vulgo *Joannes Regiomontanus*, *Peurbachii* diſcipulus, exeunte anno MCDLXIII. Patavium venit. Cardinalis Beſſarionis commendatione inter Profeſſores receptus Alphraganum exponere aggreſſus eſt. Extat oratio ejus prima in hoc Gymnaſio habita, quam edidit Norimbergæ cum Alphragano, & Albategnio Joannes Schenerus. In ea ſpondet, ſe uſtiva quædam ſpecula, Archimedeis ſimilia, fabricaturum. Dicitur etiam contuliſſe operam aliquam ad Artem typographicam perficiendam. Oppugnavit Cardinalis Cuſani *de Circuli quadratura* Syntagma; & libros quinque ſcripſit de Triangulis tam planis, quam ſphæricis. Inſequenti anno Patavio diſceſſit; cumque Venetiis, Viennæ, & Norimbergæ aliquandiu fuiſſet, tandem Romam accitus, ut de Kalendario corrigendo conſuleretur, ibi anno MCDLXXVI. mortuus eſt. Vide plura apud Gaſſendum in ejus Vita, Thuanum, & Niceronum vol. 38. p. 377.

MCDLXXV. Aſtrologiam tradebat *Jo. Baptiſta Capuanus* ex Manfredonia, qui ſuis animadverſionibus Sphæram illuſtravit Joannis a Sacrobuſto, & Expoſitionem ſcripſit in Theorias novas Planetarum Georgii Peurbachii. Poſtea Canonicus Regularis fuit ex Lateranenſibus, tum Epiſcopus, ut eſt in Almageſto Riccioli T. I. pag. 37.

Sub finem ſæculi hujus ſcholam tenuit *Federicus Chryſo-*

gonus

gonus Jadertinus, ut colligitur ex ejus oratione, quæ inſcribitur *Speculum Aſtronomicum*, edita anno MDVII.

Sed jam ſchola hæc a divinandi ſtudio diſceſſerat, & Aſtronomiæ nomen ſumpſerat; tum autem totam Matheſim complexa, titulo quoque nobiliore in Rotulis uti cœpit, *de Mathematica & Aſtronomia*. Ineunte ſæculo proximo, utramque profitebatur *Benedictus Tiriaca*, de quo diximus in Logicis, ſtipendio argenteor. LVI. Decreto autem III. kal. jul. MDVI. cautum eſt, ne duæ iſtæ facultates in poſterum ſepararentur, nec earum ſtipendium florenos excederet quadragenos. Poſtea *Tiriaca* ſcholam dimiſit. Sed anno MDVIII. cum inventus nullus eſſet, qui illam pro dignitate regere poſſet, VII. id. ſept. rurſus accitus eſt. Onus recipere cum aliter nollet, quam aucto ſtipendio, additi ſunt floreni IV. una cum verbis honorificentiſſimis. Sed, ingruente bello, demigravit.

DE SOPHISTICA,

Quæ in Actis Gymnaſii Sophiſtaria dicitur.

Ad Elenchos Sophiſticos Ariſtotelis.

INclinante ſæculo quintodecimo, addita Logicæ ſcholæ Sophiſtica eſt, tamquam pars ejus. Quinam autem eſſet ſcholæ hujus fructus, cognoſci poteſt ex libris, qui prælegebantur. Ita enim eſt in Artium Statutis ad annum MCDXCVI. l. 2. c. 20. *Deputati ad Sophiſtariam teneantur legere Logicam Paulli Veneti, & Quæſtiones Strodi, cum Dubiis Pauli Pergulenſis, & pro tertia Lectione Regulas, ſeu Sophiſmata Tisberi*. Hæc illis temporibus optima habebantur ignoratione meliorum. Sed pleraque Profeſſorum nomina oblivione periere; nec ſane dolendum. Anno ſæculi ſequentis tertio memoratur *Hieronymus de Plegaſetis* Vicetinus, diciturque ad *Sophiſta-*

phiſtariam publice explicandam deſignatus: nono autem, qui belli primus fuit, plures inveniuntur Sophiſticæ Profeſſores in libris Quæſtoriis ſine ſtipendii diſcrimine. Ordine primus ſignatur *Sebaſtianus de Florentia*, conductus anno ſuperiore florenis XXX. Sed ſub initium anni hujus cum mortuus eſſet, ex Præfecti mandato docuit *Antonius Toſinius* Florentinus eodem ſtipendio uſque ad kalendas apriles. Poſtea ſuffectus eſt *Hieronymus de Caſtiliono;* huic autem ſucceſſor datus eſt *Generalis de Madiis*, qui cito locum ceſſit *Antonio de Ancona*. Hic ad ultimum ſcholam clauſit.

DE MORALI PHILOSOPHIA

Ad decem Ariſtotelis Ethicorum libros.

MOralis Philoſophia ſæculo quintodecimo recepta in Gymnaſium eſt, non ita tamen, ut ipſa per ſe ſtaret, & ſcholam conſtitueret; ſed ut, pro vario ſcholarum ſtatu, modo uni accederet, modo alii ad penſum augendum, & induſtriam acuendam. Verum progreſſu temporis, ut fit, ſuum ſibi Profeſſorem vindicavit, certumque auditorum genus ſibi uni addictum. Geminata eſt etiam aliquando, ut per eam juniores Profeſſores ingenium experirentur, ſtipendio contenti argenteorum X.

MCDVII. *Caſpar de Barzizis* Bergomas cum Rhetoricam profiteretur diebus ordinariis, ſimul illud ſibi concedi voluit, ut Philoſophiam Moralem diebus vacantibus explicaret, ſtipendio conſtituto argenteorum CXX.

MCDXXX. Moralis Philoſophia acceſſit ad Logicam. Nam x. kal. oct. *Fr. Jo. Baptiſta* ex Ordine Eremitarum ad utramque ſimul tradendam conductus eſt argenteis XV. ut eſt in Tomo I. Decret. p. 11. Quadriennio autem poſt *Venantius de Camerino*, qui Rector fuerat, Morali ſe totum dedit, eamque unam diebus vacantibus profeſſus eſt.

MCDLII.

MCDLII. Moralis Philoſophia rediit ad Rhetoricam: *Laurus* enim *Quirinus* Patr. Venetus hoc anno utramque tradidit, conductus etiam in annum proximum. Qua de re vide *Rhetoras*.

MCDLXXII. *Hermolaus Barbarus* Patricius Venetus, omnium (ut Bembi verbis utar) e ſua civitate, qui ante illum nati eſſent, Latinis Græciſque litteris doctiſſimus, per biennium admodum juvenis in Patavino Gymnaſio Moralia tradidit, omneſque Ariſtotelis libros interpretatus, priorum ſex compendium dedit, quod typis commiſit pronepos ejus Daniel anno 1544. Hanc in rem memoria dignum puto, quod *Hermolaus* ipſe de ſe ſcripſit Venetiis anno 1484. ad *Nicolaum Verniatem* Theatinum, Philoſophum hujus Univerſitatis primarium: *Scito, me Ariſtotelem cœpiſſe profiteri magna frequentia, & incredibili deſiderio litteratorum bonorum: ſed, ut ſemper aſſolet, non ſine detractoribus*. Virum in rep. principem, omniumque magnarum artium diſciplinis inſtructum cito ad altiora Superi vocarunt. De ejus vita & Operibus vide Apoſtolum Zenum in Diſſert. Voſſianis T. 2. n. CII.

Jamvero cum ſchola hæc valde pateret, multique ſe temere ad docendum offerrent, anno MCDLXXXI. v. non. april. Senatuſconſultum factum eſt, nequis Moralia in Gymnaſio traderet, quin prius rite probatus docendi jus, nomenque Doctoris obtinuiſſet. Itaque in examinum Actis multorum nomina recenſentur, qui ad Moralis Philoſophiæ ſcholam deſignati dicuntur, anno MCDXCIII. *Laurentius Torta* ex Urceis Majoribus, olim Univerſitatis Rector, MCDXCVI. *Jo. Andreas Luſa* Tarviſianus, & *Vincentius Triſcus* Cæſenas, MCDXCVIII. *Petrus Ghelinus* Vicetinus, MD. *Jo. Ludovicus Cavaccius* Brixianus, & *Jac. Philippus de Pellibus nigris* Trojanus, MDI. *Marcus Faella* Veronenſis, MDII. *Bartholomæus Pivius* Cremonenſis, & *Onufrius Bonafides* Anconitanus, MDIII. *Hieronymus de Avogariis*. Iſtis omnibus Laurea collata eſt ſcholæ hujus gratia, in qua ſuum quiſque

expe-

experiretur ingenium priſca illa planeque mirabili ſtudioſæ juventutis æmulatione, quam poſteritas moribus debilitata nec aſſequitur, nec aſſequi fortaſſe poteſt.

A. MDVI. III. kal. jul. decrevit Senatus, ut ſchola ſecunda Philoſophiæ Moralis clauderetur. Triennio autem poſt conductus eſt ad primam argenteis quindenis *Joannes Parma* Veronenſis; qui tamen Gymnaſio abſtinuit belli cauſſa.

DE MEDICINA

THEORICA

Ad primam Fen Avicennæ, Aphoriſmos Hippocratis, & Artem Parvam Galeni.

PRACTICA

De Febribus, de Morbis particularibus a capite ad cor, de Morbis a corde & infra.

MEdicinæ claſſes in Gymnaſio duæ ſunt: in prima Theoricæ, in altera Practicæ Profeſſores continentur. Suas utraque claſſis ſemper ſcholas habuit, modo multas, modo paucas, quæ tamen recte diſtingui, atque ordine dari nequeunt, niſi poſt inſtauratum ſæculo proximo Gymnaſium.

Ex Medicis, qui ſcholas poſt annum ſæculi hujus quintum rexere, primus occurrit *Petrus de Tomaſiis* Venetus, qui etiam ſub Carrarienſibus docuerat. Colligitur ex decreto Senatus xv. kal. nov. MCDIX. quo illi ſucceſſor datus eſt *Antonius de Luca*, qui ſuperiore anno, inter Scholares cum eſſet, Univerſitatem rexerat. Eodem decreto *Joanni de Caronellis* Coneglanenſi Medicinæ Practicæ Profeſſori auctum ſtipendium eſt argenteis denis, cum illi antea libellæ Venetæ centum detractæ fuiſſent. Subinde *Bartholomæus de Montaneana* docere cœpit, jamque anno ſæculi vigeſimo ſecundo Medicinam tradebat Extraordinariam ſtipendio argenteor. C. ut eſt in vetuſto Urſatorum Codice. In Rotulo anni MCCCCXXXV. apud Tomaſinum p. 156. Profeſſor dicitur Medicinæ Practicæ Ordinarius, quam ſcholam tota vita retinuit, adjectis ejus ſtipendio argenteis quindenis anno MCCCCXLI.

MCDXIII. *Antonius Cermiſonus*, filius Cermiſoni Parmenſis,

menſis, Venetarum copiarum Ductoris, Patavii natus, Medicinam Theoricam Ordinariam profitebatur argenteis XL. ut eſt in decreto hujus anni poſtridie non. jun. quo vetat Senatus, ne illi ſolvatur ſtipendium niſi pro rata, quod abfuiſſet dies aliquot ſine facultate. Sub finem anni MCDXXIII. decrevit Senatus, ut quoties *Cermiſonus* Venetiis eſſet, vel alibi Medicinæ faciendæ cauſſa, alius quidam ejus loco doceret, qui *Subſtitutus* diceretur, attributis argenteis LX. quæ ſumma conficeretur ex aliorum Profeſſorum ſtipendiis, ſi ærarium ſolvendo non eſſet. Quinquennio poſt ablatus eſt illi Subſtitutus; ſed anno MCDXXXV. rurſus redditus, addito inſuper honore, ut ſine antagoniſta doceret. Obiit anno MCDXLI. Facius ſcribit de Viris illuſtr. p. 37. nihil ab eo litteris mandatum fuiſſe, quod de his rebus ſatis a veteribus traditum arbitraretur. Contra Scardeonius in lib. 2. claſ. IX. ait, Commentarios de re Medica luculentiſſimos ab eo ſcriptos fuiſſe, qui per univerſum terrarum orbem vulgati legebantur. Et nequid ſit, de quo Biographi conveniant, alii ajunt, ingentes opes, quas medendo collegerat, *Cermiſonum* obliguriſſe, alii gratis Medicinam exercuiſſe. Illud nobis certum eſt, anno MCDXXII. nonis ſept. totius anni ſtipendium a Principe in anteceſſum obtinuiſſe ad minuendum æs alienum, quo undique premebatur. Maphejus in Verona illuſtr. l. 3. p. 127. *Cermiſonum* ſuis civibus accenſet, aitque Patavii docuiſſe una cum *Matthæo* fratre.

MCDXIV. Hoc anno & quatuor ſequentibus inveniuntur inter Promotores *Almericus de Serravallo*, & Patavini quatuor, *Chriſtophorus de Tomaſiis*, *Franciſcus de Melategnis*, *Bonus a Flumine*, *Franciſcus de Niaſio*. Duo autem poſtremi anno MCDXXII. Medicinæ Practicæ Profeſſores dicuntur in Codice Urſatorum de Rationibus Quæſtoriis, argenteis conducti uterque quadragenis.

MCDXXII. *Stephanus de Doctoribus* cum Medicinam Extraordinariam profiteretur argenteis XXXV. obtinuit præterea

quindenos, totidemque biennio poſt, cum Medicinam Theoricam ordinariam traderet ſubſtitutus *Cermiſono*. Obiit anno MCDLXIII. ut eſt in Ephemer. Monteroſſi ad menſ. oct. p. 147. Eodem anno *Thaddæus de Aldemariis* Tarviſianus, Univerſitatis Prorector, Medicinam Extraordinariam tradebat diebus feſtis ſtipendio argent. XX. *Nicolaus* autem *de Cavazzolis* Vicetinus argenteis XXX. ut eſt in Urſatorum Codice ad hunc annum. Ibi porro etiam *Fr. Franciſcus de Maximo* inter Medicæ Artis Profeſſores refertur, ſed incertum quo ſtipendio. Nec vero omittendi ſunt Promotores ad medica examina adhibiti, *Franciſcus de Moronibus* Tarviſianus, *Georgius Carrerius* Cyprius, *Antonius Scarperia* Florentinus, *Gulielmus de Mercato novo*, *Nicolaus de Leonardis*. Hic in Actis Collegii Medici anni MCDXXIV. p. 31. Venetus dicitur: attamen Petr. Paullus Vergerius litteris Bononia datis v. non. maj. 1390. cum vehementer urget, ut ad ſuos redeat, commemoratis Bononienſis Academiæ laudibus, quam deſeruerat, ut in noſtra hac Patavina bonis artibus inſtrueretur.

MCDXXIII. *Henricus de Alemania* Univerſitatis Rector Medicinam Eſtraordinariam tradebat diebus feſtis ſtipendio argenteor. XX. Eodem tempore docebat *Ugo Bencius* Senenſis Philoſophus, & Medicus admodum peritus, qui anno MCDXXVIII. bona Principis venia receſſit, ſuffecto ad tempus *Joanne de Camerino*. Poſtea rediit; jamque anno MCDXXX. Medicinam Ordinariam cum *Cermiſono* Collega atque æmulo profitebatur argenteis quadragenis. Anno poſt diſceſſit, ut colligitur ex decreto Senatus III. id. Oct. accitus a Ferrarienſibus ad Philoſophicam ſcholam regendam. Nec tamen ibi diu manſit, ſed per alias vagatus Academias, demum Romæ obiit anno MCDXLVIII. cum de re Medica quædam ſcripſiſſet, quæ refert Borſettus de Gymn. Ferrarien. P. II. p. 20.

MCDXXX. *Marcus de Oſnago* Venetus ad Avicennam interpretandum conductus eſt argenteis vicenis, ut eſt in T. I. Decret. p. 13.

MCDXXXIII.

MCDXXXIII. *Jo. Benedictus de Caſtagnolis* Patavinus IX. kal. aug. probatus in Arte Medica, ſtatim docere cœpit, & in anni ſequentis Rotulo dicitur Profeſſor Medicinæ Practicæ Extraordinariæ. Quinquennio poſt, cum mereret argenteis quadragenis, obtinuit præterea denos. Anno autem MCDXLI. Gymnaſio abſtinuit, ut valetudinem cuſtodiret Gatamelatæ, qui terreſtribus Venetorum copiis præerat. Cum rediiſſet ad penſum, octo poſt annos obiit. Eodem anno *Eq. Michael Savonarola* Patavinus ad tertium Avicennæ librum interpretandum conductus eſt argenteis centenis. Sed VII. id oct. cenſuit Senatus, tollendam eſſe tamquam inutilem ſcholam hanc, *Savonarolam* autem, virum præſtantiſſimum alio in loco cum dignitate collocandum. Attamen in Rotulis trium annorum conſequentium nihil eſt immutatum. Poſtea Ferrariam demigravit, magnis conditionibus invitatus a Nicolao III. Marchione Eſtenſi; ibique cum doceret, & fama ingenti Medicinam faceret, civitatis jure donatus eſt. Scripſit, Patavii cum eſſet, de Aquis Aponenſibus, & multa præterea, quæ recenſet Scardeonius, & Borſettus de Gymn. Ferr. P. II. p. 18. Illis adde Commentariolum *de magnificis ornamentis civitatis Paduæ*, quem præfatione ornavit, typiſque edidit Muratorius in Tomo XXIV. Rerum Italicarum. Quamdiu vixerit, non convenit inter Biographos. Muratorius accedit ad Alexandrum Guarinum, qui *Michaelis* vitam producit ad annum ſæculi ſextum & ſexageſimum.

MCDXXXIV. *Chriſtophorus de Barzizis* Bergomas in Rotulis hujus anni, & trium qui ſequuntur, dicitur Profeſſor Medicinæ Practicæ Ordinariæ. Non caruit fama, & quædam etiam ſcripſit, quæ refert Donatus de Calvis in Scena Litter. P. I. p. 99.

Rector Univerſitatis *Jacobus Cyprius* de Medicina extra ordinem hoc anno diſputabat; *Candus de Cando* Practicam tradebat; *Simon de Lendinaria* una cum *Sigiſmundo Polcaſtro* Theoricus erat. *Polcaſtrus* autem, de quo dictum eſt a nobis

bis in Philoſophis, quinquennio poſt ad ſcholam primam Ordinariam, petente Univerſitate, provectus eſt; veruntamen *per modum proviſionis*, ut decreti verbis utar, donec inſignis aliquis Profeſſor reperiretur. Locum tenuit cum laude ſupra ſpem & expectationem; ideoque poſt triennium confirmatus eſt, aucto ſtipendio ad argenteos CXC. Anno MCDXLVII. veniam obtinuit aliena Gymnaſia viſendi ad Medicam eruditionem colligendam. Porro cum anno MCDLVIII. IV. non. ſept. miſſionem cauſſariam peteret, conceſſit illi Senatus, ut quoties minus recte valeret, alium pro arbitrio ſufficeret in locum ſuum, aucto inſuper ſtipendio menſe octobri ad argenteos CCC. Septem poſt annis idem illi arbitrium confirmatum eſt, addita etiam ejus amovendi libertate, quem ſemel ſubſtituiſſet. Obiit anno MCDLXXIII. Philoſophorum & Medicorum ætatis ſuæ princeps cum haberetur. Anno ſuperiore III. kal. ſept. Hieronymo filio ſuo Medicæ facultatis Lauream præbuit; quo die Antonius filius ejus alter Juris Civilis Laurea coronatus eſt, *adſtantibus utroque Rectore utriuſque Univerſitatis, & utroque Collegio*, ut eſt in Actis. De illo, ejuſque ſcriptis Scardeonius, Portenarius, & Papadopolus, qui tamen annum emortualem haud recte ſignarunt.

MCDXXXV. *Joannes de Manſono* Neapolitanus, Univerſitatis Rector cum eſſet, Medicinam Extraordinariam diebus feſtis tradebat, eamdemque profeſtis *Chriſtophorus de Bonaciis*.

MCDXXXVI. *Bartholomæus de Noali* Medicinam Theoricam extra ordinem profiteri cœpit mercede non ita magna, quæ ſæpius aucta poſt annos decem crevit ad argenteos centenos. Cum famam docendo, & Medicinam factitando collegiſſet, anno MCDXLVII. duplicatum illi minerval eſt. Obiit anno MCDLI. cum paullo ante argenteos inſuper ſeptuagenos obtinuiſſet. De illo, & Franciſco fratre Scardeonius l. 2. Claſſ. IX. p. 214.

MCDXL. *Marcus Doctus* Tarviſianus ex hoc ferme tempore

pore docere cœpit, ut colligitur ex decreto Senatus MCDLXIII. IV. KAL. mart. quo anno ex ſuffragiorum ſcholaſticorum periculo exemptus eſt. Anno MCDLX. Medicinam Practicam extra ordinem tradebat, auctumque illi ſtipendium eſt ad argenteos LXXXV. ut eſt in ſchedis Ingulfi de Comitibus. V. Chirurgos.

MCDXLI. Inter Promotores ad Medica examina recenſentur *Simeon de Ruſpano* ex Civitate Auſtriæ, *Franciſcus de Janua*, *Zacharias de Monteſilice*, *Antonius Roſellus*. Et hic quidem procul dubio etiam Profeſſor fuit; confirmatuſque eſt hoc anno, & biennio poſt, additis ſtipendio ejus argenteis XXV. ut refert ex decreto Senatus Ingulfus de Comitibus.

MCDXLVI. *Bartholomæus a S. Sophia*, *Bartholomæi* Profeſſoris filius, ſcholam regebat Medicinæ Practicæ Ordinariam ſtipendio argenteorum C. qui bis aucti crevere ad ducenos anno MCDLXII. Eodem anno Theoricæ Extraordinariam tenebat *Hieronymus a Vallibus* argenteis vicenis, qui duplicati ſunt anno MCDLIII. Sexennio autem poſt tranſiit ad Practicam Ordinariam, quam diu profeſſus eſt, collega ejus & antagoniſta cum eſſet *Balthaſſar de Peruſio*. Anno MCDLXXII. mortuus eſt, cum ſtipendium ejus perveniſſet ad argenteos quinquagenos ſupra centum.

MCDXLVIII. *Joannes de Fornacibus*, qui inter Logicos docendi tirocinium poſuerat, Medicinæ ſcholam regebat ſtipendio argent. CXXX. Una autem cum illo docebat *Andreas Marionus*, al. *de Marionibus*, cui anno proximo auctum ſtipendium eſt ad argenteos centenos. *Joannes* porro quinquennio poſt diſceſſit.

MCCCCXLIX. *Mattheolus de Peruſio* clari nominis Medicus hoc anno apud nos docebat, & inter Promotores invenitur. Eum Peruſini anno MCCCCLIII. in patriam revocarunt conditionibus valde amplis, ad extremum vero etiam minis, ſibi illudi exiſtimantes, quod beneficium rejiceret antea peroptatum, ut ipſi ajebant, fidemque falleret. Attamen

in propoſito manſit, uſus opera & patrocinio Franciſci Barbari, magnæ auctoritatis Senatoris, qui cum Peruſinis egit, ut *Mattheolum* æquo animo nobis relinquerent, nec Patavino Gymnaſio Medicinæ gloriam inviderent, quandoquidem Peruſinum Juriſprudentiæ fama ſatis floreret. Primam eo anno Theoricæ Medicinæ ſcholam regebat argenteis quadringenis, quibus ſeptennio poſt additi ſunt præterea C. Geminum Tractatum edidit de memoria regulis & potionibus Medicis juvanda; vixitque uſque ad annum MCCCCLXXI. Non deſunt tamen qui vitam illi longiorem tribuant, inter quos Monteroſſus noſter.

MCDLII. *Joannes de Arculis*, al. *Arculanus*, Veronenſis, Medicinæ Practicæ Ordinariæ Profeſſor, Bononia evocatus, ut eſt in decreto Senatus hujus anni III. kal. jan. Hinc Ferrariam migravit, ut Duci Borſo I. medicinam faceret, ibique mortuus eſt anno MCDLX. Scripſit de Balneis, de Febribus, & alia, quæ habes apud Maphejum, & Borſettum de Gymn. Ferrar. P. II. pag. 41. *Arculano* ſuffectus eſt ſtipendio argenteorum CCCXX. *Gerardus de Bolderiis* item Veronenſis, cui anno MCDLVI. datus eſt Subſtitutus *Matthæus* frater, qui doceret argenteis XL. quoties *Gerardus* Venetias vocaretur ad ægrotos curandos. Eodem decreto confirmatum illi docendi jus eſt extra aleam ſuffragiorum Univerſitatis. Quædam etiam ſcripſit, de quibus Maphejus l. 3. de ſcript. Veron. p. 127.

MCDLIII. *Petrus a Noali* Medicinæ Profeſſor dicitur in decreto Senatus XI. kal. dec. Eodem anno *Zacharias de Feltro* ſuffectus eſt in locum *Joannis de Fornacibus*, qui abierat, argenteis ſeptuagenis. Anno MCDLV. cum per litteras primum Advocatorias, deinde Ducales adſcriptus Collegio Medicorum fuiſſet, Collegium oratores Venetias miſit, qui Senatum rogarent, ne jura ſua hujuſmodi litteris infringi pateretur. Obiit anno MXDLVIII. quo anno in locum ejus ſucceſſit *Paullus a Flumine*. Circa hæc tempora inter Patavinos Medicæ facultatis magiſtros refertur *Joannes Turinius* Peſcienſis a Placido Puccinellio in Monumentis Peſcienſibus.

MCDLVIII. *Paullus a Flumine*, qui ab anno MCDXLI. Philoſophiæ Profeſſor fuerat, III. id jan. hujus anni electus eſt ad Medicinam Practicam Extraordinariam ſtipendio argent. LXXV. Anno MCDLXXII. VII. kal. jan. aſcendit ad Ordinariam, aucto ad argenteos centenos ſtipendio. Sed poſt annos octo ſcholam dimiſit, ut Venetias ſe conferret ad Medicinam faciendam, data illi facultate ſubſtituendi Doctorem alium, donec ejus ſoli atque aeris periculum faceret. Obiit anno MCDXCIV. cum quædam ſcripſiſſet de ægritudinibus infantium. Ex gente hac fuit F. Ludovicus a Flumine Minorita Philoſophus, & Theologus, non tamen Gymnaſii Patavini Profeſſor, ut perperam quidam ſcripſerunt. Extat ſepulchralis inſcriptio, unde ejus munera titulique cognoſcuntur, apud Scardeonium lib. 2. Claſ. VII.

MCDLIX. *Petrus de Roccabonella*, qui Philoſophiam profeſſus fuerat argenteis quadragenis, ad Medicinam translatus eſt additis vicenis, qui crevere ad centenos anno MCDLXII. cum regeret ſcholam medicinæ Theoricæ Ordinariæ ſecundam. Anno poſt ſecutus eſt Legatum Venetum ad Gallorum Regem, ſuffecto *Joanne ab Aquila*, donec abeſſet, nec abfuit ultra annum. Poſt triennium rediit ad Philoſophiam, ut locum teneret *Chriſtophori Recinetenſis*, ſtipendio argent. CLXXX. Sed anno MCDLXXV. rurſus ad medicinam ſe contulit, eadem occupata Theoricæ Ordinariæ cathedra argenteis CCCL. qui aucti ſunt ad quadringenos anno MCDLXXXI. Demum ſexennio poſt idibus mart. evectus eſt ad locum primum claſſis ejuſdem, aucto ſtipendio ad argenteos DL. obiit anno MCDXCI.

Eodem anno XVII. kal. dec. *Franciſcus a Noali*, *Bartholomæi* defuncti frater, electus eſt ab Univerſitate ad Medicinam Theoricam Extraordinariam, & litteris Ducalibus confirmatus, quas refert Ingulfus de Comitibus. Anno MCDLXXI. pridie id. jun. conductus eſt decreto Senatus ad totam vitam.

MCDLXI. *Matthæus de Bolderiis* Veronenſis, *Gerardi*

frater, poſtridie non. maj. in ejus locum ſuffectus eſt ſtipendio argent. CC. cum jure Collegii, in cujus poſſeſſionem miſſus eſt a Prætore non ſine contentionibus: conceſſa interim *Gerardo* honeſta miſſione, ut Medicinæ Venetiis faciendæ vacare poſſet. Anno poſt III. kal. mart. exemptus eſt ab Uverſitatis judicio.

MCDLXIII. *Joannes ab Aquila* Anxanenſis IV. non. dec. ſuffectus eſt ad tempus *Roccabonellæ*, ut jam dixi. Cum autem *Roccabonella* rediiſſet ad penſum, ipſe anno MCDLXXII. VII. kal. jan. electus eſt ad Practicam primam Extraordinariam, deinde Ordinariam ſtipendio argent. LXXV. Anno MCDLXXXI. cum abeundi veniam peteret, confirmatus eſt, aucto ſtipendio ad argenteos CCL. quinquennio autem poſt ad CCC. Anno MCDLXXXVII. ad ſecundum Theoricæ Ordinariæ locum translatus eſt, ut cum *Roccabonella* certaret. Mortuo autem antagoniſta, VI. kal. octobr. MCDXCI. ad locum primum provectus eſt, cum paucis ante menſibus novum auctarium obtinuiſſet. Poſt biennium petiit levaminis gratia, & obtinuit ſcholam primam pomeridianam Practicæ Ordinariæ. Ætate ejus ingraveſcente, anno MDIII. XVI. kalend. novembr. additus eſt ſcholæ adjutor *Bernardinus Speronus*. Denique triennio poſt ætatis vacationem obtinuit, ſtipendio, quod valde creverat, ad argenteos quingenos redacto. De illo Mazzucchellus T. II. p. 900.

MCDLXIV. *Balthaſſar de Peruſio* electus eſt III. kal. ſept. ad Medicinam Practicam Ordinariam, loco *Bartholomæi de S. Sophia*, ad triennium argenteis CCC. quibus additi ſunt quinquageni anno MCDLXXI. cum primum locum teneret. Obiit triennio qoſt: & cum Italia tota inveniri non potuiſſet, qui ſcholam hanc ſui ordinis principem pro dignitate occuparet, XIV. kal. decembr. Senatus cenſuit, quærendum eſſe aliquem, qui, ſumpto Subſtituti nomine, doceret, ceſſurus provinciam præſtanti Doctori, cum primum ſe offerret.

ret. Eodem anno clarere cœpit *Joannes Antonius de Lido*, alias *Lidius;* qui tamen non tam docendo, quam medendo ingentem adeptus famam, a ſchola identidem avocabatur, ut principibus per Italiam viris Medicam opem ferret. Tantam hanc peritiæ opinionem eo præſertim ſibi peperit, quod cum anno MCDLXVI. morbus Venetiis ingruiſſet febriculoſus, quaſique peſtilens, unde pauciſſimi evaderent, Patavio excitus ſalutaria attulit remedia, quibus confeſtim fugatus eſt. Læta civitas miraculo rei hominem, tamquam cælo delapſum, nummis & honoribus cumulavit.

MCDLXV. *Nicolaus de Prato* conductus eſt argenteis vicenis, & *Hieronymus a Turre*, al. *Turrianus*, quinquagenis. Hic autem anno MCDLXXX. Piſanis ſe obſtrinxerat: non tamen receſſit, ſiquidem anno poſt auctum ejus ſtipendium eſt ad argent. CXII. Anno MCDLXXXV. cum abdicaſſet ob ſtipendii tenuitatem, revocatus eſt argenteis CC. attamen inſequenti migravit ad Ferrarienſe Gymnaſium. Inde biennio poſt rurſus Patavium accitus eſt ad occupandum locum Medicinæ Practicæ Ordinariæ ſecundum argenteis CCC. ut certaret cum *Coradino*, qui primum tenebat. Ceterum addita conditio eſt, ut anno proximo uterque Univerſitatis judicio ſubjiceretur, iſque præcederet, qui plura ſuffragia ferret. Ejus ſtipendium auctum eſt quadriennio poſt ad argenteos DC. Obiit anno MDVI. De illo, ejuſque Operibus Fabruccius in T. 44. Opuſc. Venet. p. 29. & Maphejus in Ver. illuſtr. l. 4. p. 148.

MCDLXVII. *Chriſtophorus Recinetenſis* ex Philoſophia tranſiit ad Medicinam Theoricam loci ſecundi; ejuſque ſtipendium ſemel iterumque auctum anno MCDLXXIV. crevit ad argenteus quadringenos. Cum *Saccus*, qui locum primum tenebat, vita exceſſiſſet, *Recinetenſis* illuc aſcendit, additis ſtipendio ejus argenteis quinquagenis. Anno MCDLXXXVIII. cum Practicæ Ordinariæ ſcholam regendam ſuſcepiſſet, repente receſſit, ut colligitur ex decreto Senatus hujus anni XVII. kal. febr.

MCDLXXII. *Petrus Saccus* Veronenſis idibus jan. electus eſt ad ſcholam primam Theoricæ Ordinariæ, ſtipendio argent. CD. attributis pro itinere vigintiquinque: admiſſuſque ſtatim in Collegium eſt. Sed obiit triennio poſt. De illo Maphejus in Ver. illuſtr. l. 3. p. 128. Eodem anno *Petrus Carrerius* ex Monteſilice ſuffectus eſt in locum *Paulli a Flumine* ad tradendam Practicam Extraordinariam ſtipendio argent. LXXV. Anno ſequenti exemptus eſt ab Univerſitatis judicio; triennio autem poſt obtinuit argenteos inſuper quinquagenos. Anno MCDXCI. migravit ad Theoricam Ordinariam, ut cum *Aquilano* diſputaret, aucto ſtipendio ad argent. CCL. anno autem poſt ad Practicam, ut antagoniſta eſſet *Hieronymi a Turre*.

MCDLXXIII. *Joannes Buzzacarenus* idibus januar. electus eſt ad Medicinæ Extraordinariæ ſcholam tertiam, quam anno ſuperiore tenuerat *Antonius Muſſatus*.

MCDLXXIV. *Cecchinum Martellinum* Ravennatem Patavinis Medicinæ Profeſſoribus annumerat Paſolinus de Vir. illuſtr. l. 3. c. 5. atque eum publice docuiſſe per annos viginti, ſcribit. Huic porro addit etiam *Franciſcum Lovatellum*. Sit fides penes ipſum. Inter Promotores ad Medica examina recenſentur *Nicolaus a S. Sophia* junior, *Joannes de Janua*, *Petrus Mainus*, & *Laurentius de Noali*.

MCDLXXIX. *Alexander Sermonetta* Senenſis, fama nominis clarus, ex Piſana Academia accitus eſt ad regendam Theoricæ Ordinariæ ſcholam ſtipendio argent. D. addito jure Collegii, cujus nomine argentei triceni ex ærario illi ſolverentur, donec imminuto Doctorum numero, ipſi quoque locus eſſet. Anno poſt cum Senatui placuiſſet, ut Profeſſores omnes quotannis ab Univerſitate per ſuffragia probarentur, *Sermonetta* honoris gratia exceptus eſt. Auctum quoque illi ſtipendium eſt anno MCDLXXXI. ad argenteos DC. attamen poſt triennium diſceſſit.

MCDLXXX. *Mag. Coradinus* Bergomas electus ad Medici-

dicinam Practicam Extraordinariam in Gymnaſio profitendam, poſt annos duos abire conſtituit. Sed poſtmodum, petente Univerſitate, in officio manſit, aucto ſtipendio ejus ad argenteos vicenos ſupra centum, ut eſt in T. I. Decret. p. 53. Anno MCDLXXXIV. obtinuit argenteos præterea ducenos, qui homini conceſſi dicuntur, non ſcholæ; triennio autem poſt trecenos: evectuſque eſt eodem tempore ad Practicæ Ordinariæ locum primum. Obiit anno MCDXC.

MCDLXXXIV. *Victor Maripetrus* conductus eſt argenteis quinquagenis ad Medicinam Practicam Extraordinariam, ut in T. I. Decret. p. 106. Anno MCDXCVI. auctum eſt ſtipendium ejus ad argenteos LXXX. ſubinde autem anno MDIV. ad centenos, ut pari conditione eſſet cum *Bernardino Sperono* antagoniſta. De *Maripetro* vide Patinum in Lyceo Patavino p. 132.

Promotores memorantur *Franciſcus a Vallibus*, *Antonius Rubeus*, *Antonius Lupatinus*.

MCDLXXXV. *Simeon de Marinis* Atheſtinus, qui inter Philoſophos docere cœpit, Medicinæ Practicæ Ordinariæ Profeſſor dicitur in examine Medico *Vincentii Tuſci* Moralia profitentis. Eandem hanc Medicinæ partem eodemque tempore exponebat *Franciſcus de Lido*, ut ſcribit Monteroſſus in ſuis Ephemeridibus.

Cum anno ſuperiore abiiſſet *Sermonetta*, in ejus locum Medicus celeberrimus *Franciſcus Bencius* ex Gymnaſio Ferrarienſi accitus eſt, decretis argenteis DCC. qui in menſes ſingulos pro rata ſolverentur, nec ulla unquam imminutio quovis titulo fieret, etiamſi valetudinis cauſſa Gymnaſio abſtinere cogeretur. Illud quoque in conditiones ſibi concedi voluit, ut ſi forte in medio ſtudiorum curſu obiret, reliquum anni ſtipendium hæredibus ſolveretur: præterea ut Collegio ſtatim adſcriberetur, & hoc nomine argenteos haberet non minus XXX. tum ne ſcholarium ſuffragiis & judicio unquam ſubeſſet: poſtremo ut ſua omnia adducere, & abducere ſine ul-

la

la vectigalis ſolutione poſſet. Obiit anno MCDLXXXVII.

MCDXC. *Petrus Leonius* Spoletinus, non Medicus modo ex Galeni ſectatoribus facile princeps, ſed & Aſtronomus magni nominis, Roma evocatus eſt argenteis millenis ad tradendam Medicinam Practicam Ordinariam *Coradini* loco jam defuncti. Sed poſt biennium diſceſſit. De ilo Jovius in Elogiis, & Fabruccius in T. 40. Opuſc. Venet. p. 102.

Philippus Rambertus Venetus electus ad Medicinam extra ordinem profitendam argenteis quinquagenis, anno MCDXCIX. obtinuit præterea XXX.

MCDXCI. *Joannes de Scledo* cum Theoricam Extraordinariam profiteretur argenteis quinquagenis, XII. kal. mai. obtinuit præterea LXXV. Poſtea profectus eſt Alexandriam, operam medicam Venetorum Conſuli navaturus, ut eſt in T. I. Decret. p. 93.

MCDXCII. *Nicolaus de Zanottis*, & *Nicolaus Paſſera*, vulgo *Genua*, memorantur inter Promotores. Sed alter hic, qui *Marci Antonii* Philoſophi pater fuit, etiam Profeſſor dicitur, & ſine controverſia docuit uſque ad primam ſenectutem. Anno MDXXII. vivens ſibi monumentum poſuit in baſilica S. Joannis in Viridario. De illo Scardeonius p. 215.

Gabriel Zerbus Veronenſis, qui decem ante annis Philoſophiam in Gymnaſio tradiderat, hoc anno Romæ cum eſſet, III. non. jan. invitatus eſt ad Medicinam profitendam, oblatis argenteis quadringenis: ſed conditionem non accepit. Triennio poſt ſexcentenis invitatus acceſſit ad regendam ſcholam primam Theoricæ Ordinariæ. Letho indigniſſimo extinctus eſt anno MDV. De illo ejuſque fatis Jovius in Elogio M. Antonii Turriani, & Maphejus in Ver. illuſtr. l. 3. p. 128.

Onufrius Fontana cum Medicinam Extraordinariam profiteretur argenteis quinquagenis, idibus aug. hujus anni obtinuit præterea tricenos: quadriennio autem poſt crevit ſtipendium ejus ad argent. CXXV. Anno ſæculi proximi tertio IV. non. mart. teſtis affertur in examine Valerii Zuccoli Tarviſiani, diciturque Ordinariæ Philoſophiæ Profeſſor. Anno poſt obiit.

Fran-

Franciſcus de Caballis Brixianus v. kal. ſept. conductus eſt argenteis CCL. ad annum dumtaxat, ut Practicam Ordinariam profiteretur loco *Leonii*, qui objerat. Anno ſæculi ſexto III. id. febr. rurſus accitus eſt, ſuffectuſque in locum *Hieronymi a Turre* Veronenſis argenteis quadringenis, quibus additi ſunt ſexageni triennio poſt, cum jam teneret locum primum. Docuit uſque ad bellum. Mortuus eſt in patria anno MDXL. De illo ejuſque Operibus Ghilinus pag. 57.

Hieronymus de Polcaſtris ex Philoſophia III. id. oct. traductus eſt ad Medicinam Theoricam Ordinariam argenteis CCL. ut diſputaret cum *Joanne ab Aquila* primum locum tenente. Vir fuit non doctrina modo, ſed etiam pietate ac religione inſignis.

MCDXCIV. *Antonius de Arimino* Practicæ Ordinariæ Profeſſor fato ceſſit. In ejus autem locum ſucceſſit *Petrus Trapolinus*, ex Philoſophia traductus ſtipendio ſuo argent. CC. quod anno demum MCDXCIX. pridie kal. nov. auctum eſt ad CCC. Cum autem filium haberet Eccleſiæ addictum, eum Senatus anno MDVI. x. kal. febr. commendavit Epiſcopo Patavino, & per Oratorem ſuum etiam Romano Pontifici, ut ad locum deſignaretur, qui in Patavino Canonicorum Collegio primus vacaret, vel ſimplex aliud ſacerdotium illi tribueretur Principis commendatione dignum. Id porro datum eximiis patris meritis; quandoquidem ex antiqua conſuetudine, quæ poſtea confirmata eſt decreto Senatus MDV. x. kal. febr. civis Patavini ſtipendium ultra florenos CCC. augeri non poſſet. Ex libris Quæſtoriis apparet, eum ſcholam ſecundam tenuiſſe Theoricæ Ordinariæ anno MDIX. quo mortuus eſt. Non Philoſophus modo, & Medicus fuit, ſed etiam Mathematicus; ad eumque audiendum ex ultima Britannia homines, ex Hiſpania, ex Gallia conveniebant, ut ſcribit Scardeonius l. 2. Claſ. IX. p. 215.

MCDXCVI. *Franciſcus Aurichalcus* Veronenſis, cum diu tradidiſſet Theoricam Extraordinariam Subſtitutus *Joannis de*

Scle-

Schledo, eo mortuo, III. kal. decembr. ſuffectus eſt ſtipendio argenteor. CXV. Anno ſæculi ſexto x. kal. nov. translatus eſt ad Practicam Extraordinariam, ſed Gymnaſio abſtinuit.

Hoc ipſo anno Medicinam profiteri in Gymnaſio cœpiſſe *Thomam Philologum* Ravennatem argenteis ſexagenis, Papadopolus ſcribit: ſed ego nihil hujuſmodi invenire potui; nec ſane veriſimile puto, cum anno MDXVIII. ad primam Sophiſticæ ſcholam conductus ſit florenis non amplius vicenis; anno autem MDLXXVII. adhuc in vivis eſſet, & Medicinam Venetiis faceret, ut conſtat ex ejus teſtamento. Ad fidem narrationis tuendam Ginnanus Abbas Caſſinenſis de Ravennat. Litterat. p. 101. *Philologi* vitam producit ad annos ferme CXX.

MCDXCVII. *Alexander de Benedictis* Lemniacenſis Medicinæ Practicæ per hæc tempora Profeſſor, & quidem magni nominis, ſcripſit multa, quæ refert Maphejus in Verona illuſtr. l. 3. p. 129.

M D. *Bartholomæus de Montaneana* junior ſeniori medendi arte minime par, ſed politioribus litteris longe major, ut ſcribit Scardeonius, qui ejus opera legit nunquam edita, turbatis bello ſcholis, Venetias conceſſit, ibique mortuus eſt v. id. maj. MDXXV.

MDI. *M. Antonius a Turre* Veronenſis, *Hieronymi* filius, videtur hoc anno docere cœpiſſe. Florenis merebat quinquagenis, qui biennio poſt kalendis ſextilibus aucti ſunt ad octogenos, cum Theoricæ Extraordinariæ ſcholam ſecundam teneret. Poſtea ad primam promotus eſt, ſtipendio aucto ad florenos C. Anno MDVI. x. kal. oct. obiit admodum juvenis, ejuſque laudes magnifico elogio complexus eſt Jovius, & ex eo Maphejus in Verona illuſtr. l. 4. p. 149.

MDII. *Sebaſtianus a Ponte Montioni*, Artium Doctor electus eſt ab Univerſitate ad tertium Avicennæ librum interpretandum: cujus rei gratia Lauream medicam cepit XIV. kal. aug.

MDIII.

MDIII. *Bernardinus Speronus* XVI. kal. nov. electus eſt adjutor & ſubſtitutus *Joannis Aquilani*, ſenis optime meriti, qui ſcholam pomeridianam regebat Practicæ Ordinariæ. Triennio poſt, *Aquilano* vacatione conceſſa, in locum ejus ſuffectus eſt ſtipendio floren. CC. Non deſunt argumenta, cur credamus, etiam ſub finem ſæculi ſuperioris eum publice docuiſſe, ſed extra ordinem. Anno primo poſt bellum rediit in Gymnaſium, cum paullo ante Romæ fuiſſet ad curandam valetudinem Leonis X. Pont. Max.

Hieronymus de Urbino Theoricæ Extraordinariæ Profeſſor dicitur in Actis VI. kal. aug. hujus anni, in quibus Artium examina referuntur.

MDIV. *Philippus a Pomo aureo* idibus febr. Theoricæ Extraordinariæ Profeſſor electus cum fuiſſet, eamque egregie traderet, intra annum mortuus eſt. Ad locum occupandum acceſſit *Hieronymus Pindemontius*, ex Gymnaſio Ferrarienſi accitus florenis quinquagenis. Sed cito abdicavit. Schola autem ſublata eſt decreto Senatus III. kal. jul. MDVI. in quo dicitur *Lectura ſuperflua, cum ſatis ſuperque ſint tres Doctores*.

Andreas Alpagus, al. *Bonagius*, Bellunenſis primam Theoricæ Ordinariæ ſcholam per hæc tempora tenebat. De illo Pilonus in Hiſt. Bellun. l. 5. & Papadopolus T. I. p. 293. Uterque autem merita ejus, & opera refert.

MDV. Defuncto *Zerbo*, conductus eſt III. kal. jan. ad profitendam Theoricam Ordinariam *Antonius Cittadinius* Faventinus ducatis aureis quadringenis, qui tamen ad florenorum rationem æſtimarentur, ut jam fieri conſuevit in aliorum Profeſſorum ſtipendiis, ideoque ſummam efficerent floren. CDXCVI. Antea Piſis docuerat, Bononiæ, Ferrariæ, & Pariſiis quoque. Quædam etiam edidit tum Philoſophica, tum Medica, quæ recenſet Fabruccius in T. 44. Opuſc. Venet p. 46.

MDVI. *Franciſcus Trapolinus Petri* filius, ex Philoſophia X. kal. nov. traductus eſt ad ſcholam ſecundam Medicinæ Theoricæ Extraordinariæ, aſſignato ſtipendio floren. C.

Angelus Beſuccius Brixianus electus eſt ab Univerſitate ad tertium Avicennæ librum interpretandum. Iccirco cepit inſignia Medica, ut eſt in Actis a. d. VIII. kal. maj. ubi dicitur *Omnium liberalium artium*, *præſertim Aſtronomiæ*, & *Arithmeticæ peritiſſimus*. Biennio poſt locum ceſſit *Laurentio de S. Miniato*.

MDVII. *Hieronymus Oddus* ex Monteſilice pridie kal. mart. conductus eſt florenis LXXV. ad Practicam Extraordinariam, expulſo *Aurichalco*, qui ſine cauſſa, & ſine venia Gymnaſio abſtinebat.

MDIX. *Hieronymus de Libertis* Patavinus conductus eſt ad locum tertium Practicæ Extraordinariæ, *Bartholomæus* autem *Bariſonus* ad tertium Theoricæ, uterque florenis XX. ut eſt in libris Quæſtoriis, qui hoc ipſo anno Profeſſoribus clauſi ſunt belli cauſſa.

DE

DE CHIRURGIA

VUlnerum Medicina, quæ Chirurgia dicitur, ſub initium ſæculi quintidecimi cum Anatome conjuncta erat; eique in publicis Gymnaſii exercitationibus inſerviebat, ut jam in prima hujus Operis parte diximus. Profeſſores duo erant, interdum autem unus tantum, ſtipendio conductus non ſane ingenti. Floruit in primis *Benedictus Galmarellus* Patavinus, qui multis ante annis profiteri in ſcholis cœperat, non Chirurgus modo, & Medicus per ea tempora inſignis, ſed etiam Philoſophus, ut eſt in ſepulchri titulo ad Baſilicam Antonianam. Huic addendus *Leonardus Bertopalea* item Patavinus, *cujus doctrinæ præclara monumenta* (inquit Scardeonius) *toto terrarum orbe probantur*. Nam præter multa, quæ inedita reliquit, Commentarium emiſit in Canonem quartum Avicennæ, Tractatum Chirurgicum, Syntagma de aquis ad pellendas ægritudines idoneis, & alia, quæ ſtudentium manibus olim terebantur, ut idem ſcribit Scardeonius l. 2. Claſ. IX. pag. 209.

MCDXXII. *Matthias de Feltro* conductus eſt ad Chirurgiam argenteis octonis, & *Nicolaus de Adria* vicenis, ut eſt in vetuſto Urſatorum Codice. *Nicolao* autem anno MCDXXX. VIII. kal. oct. auctum eſt ſtipendium florenis quatuor. Neque eſt, cur quiſpiam de ſummula tam minuta miretur. Hominibus enim per ea tempora ad vanitatem uſque gloriæ cupidis quodlibet minerval ſatis erat, modo Univerſitatis jure & honore fruerentur. Quamquam ipſa quoque Artis natura & conditio tempeſtate illa ita ferebat, quæ nondum ſatis illuſtrata, habebatur tamquam Medicinæ adminiſtra, quavis operæ ſuæ mercedula contenta.

MCDXXIV. *Laurentius de Caſulis* Senenſis conductus eſt ad Chirurgiam, & confirmatus biennio poſt, ut eſt in veteribus Rotulis apud Tomaſinum p. 157. Anno autem ſe-

quenti conducti ſunt *Jo. Michael Bertopalea Leonardi* filius, & *Joannes Antonius de Padua*.

MCDLXXVII. *Marcus Doctus* ex Medicina, quam per annos ſupra triginta profeſſus fuerat, tranſiit ad ſcholam hanc, ut refert Tomaſinus p. 280.

MCDXCVI. *Jo. Baptiſta Fortezza* Vicetinus III. kal. dec. conductus eſt ad Chirurgiam florenis ſexagenis, Senatui probatus ob peritiam maxime, quam oſtenderat in curandis vulneribus Com. Pitiliani Venetarum copiarum Ductoris. Poſtea cum abjiſſet, ſuffecti ſunt Chirurgi duo, decretis in ſingulos florenis XX. quæ ſumma in poſterum firma eſſet.

MCDXCVIII. *Franciſcus de Orlandis* de Corinaldo electus ad profitendam Chirurgiam, III. id. oct. Medicæ facultatis inſignia cepit; eademque cepere triennio poſt XIV. kal. nov. ad eamdem ſcholam deſignati *Franciſcus Marcellinus* ex Foro Sempronii, & *Antonius Capredinus* de Romano. Utrum reipſa docuerint, non ſatis conſtat.

MDIII. *Bartholomæus Laziſius* X. kal. ſextil. conductus eſt decreto Senatus florenis quadragenis, quod eſſet ſolus. Sed anno ſequenti cum rediiſſet *Fortezza*, locus ei primus eſt aſſignatus una cum ſtipendio ſuo florenorum LX. *Laziſii* autem ſchola III. kal. jul. MDVI. clauſa eſt. *Fortezza* perrexit uſque ad annum MDIX. quo ſcholæ omnes belli cauſſa intermiſſæ ſunt.

ERRATA

Pag. 16. Tolle lineas ultimas de *Caſſandra Fideli*, cui ſuus datus eſt locus inter Artiſtas pag. 89.

INDEX
IN PARTEM II.

A

de ABaco Albertus. 32
Abrahamus Stephanus. 18
Academici Gradus contemni incipiunt. 88
Accoltus Franciſcus. 45
Accorambonus Hieronymus. 110
de Acelo Antonius. 112
Achillinus Alexander. 112
Acinger Paullus. 11
de Adria Nicolaus 139
de Advocariis, al. Avogariis, Jo. Daniel. 82. Hieronymus. 120
Agnellus Joannes. 89
de Albano Hieronymus. 85. Michael. 112
de Alano Henricus. 23
de Albericis Chriſtophorus. 63
de Albertis Petrus. 13. Aloyſius. 64. Joannes. 80
de Aldemariis Thaddæus. 79. 124
Alemanus Henricus. 79. 124
de Aletio Antonius. 91
de Alexandris Chriſtophorus. 53
Allia Hieronymus. 115
Alphonſus Aragoniæ Rex. 4
de Altano Tanus. 14
de Alvarotis Jacobus. 36. Franciſcus. 44. Comes. 54. 63. 71. Alvarotus. 66. Jacobus junior. 69. 72.
de Amigdola Caſpar. 85
de Ancarano Petrus. 3. 28. Gallianus. 61. 72
Anconitanus Jacobus. 73. Joannes. 75. Antonius. 119
de S. Angelo Thomas. 81
de Anglia Thomas. 15
de Apulia Bartholomæus. 2
ab Aquila Joannes. 129. & ſeq.
Arculanus Joannes. 128
de Aretio Paullus. 8. 33
de Argenta Franciſcus. 74
Argyropolus Joannes. 82
Ariminenſis Benedictus. 88. Antonius. 135
de Ariſtotelis Antonius. 30
Armorum jus a Scholaſtico Rectore conceſſum. 80
Aſculanus Fr. Gratiadeus. 98
Aſtrologia. 117
de Avantiis Michael. 72. Hieronymus. 110
de Auguſtinis Joannes. 86
Averrois philoſophiam quis induxerit in Gymnaſium. 104. Quam ſit periculoſa. 106. 111
de Aurelianis Belpetrus. 87
Aurichalcus Franciſcus. 135

B.

BAccalarii Juriſtarum quando deſierint. 10
Bacchanalia coercentur ad dies decem. 50
de Bagarottis Petrus 47. Antonius. 48. 74. Bertuccius. 59
Baldus Proſdocimus. 110

Bandinus Joannes. 28
de Barbarano Hieronymus. 66
Barbarus Hermolaus. 120
de Barbobus Petrus. 46
Barbus Petrus Card. 12. Ludovicus 29.
Bariſonus Nicolaus. 75. Bartholomæus. 113. 138
de Barnabucciis Jo. Paullus. 11
Barocius Petrus. 17. 21. Franciſcus 39.
de Barzis Benedictus. 2. 27
de Barzizis Jo. Baptiſtà. 111. Caſpar. 119. Chriſtophorus. 125
Baſilica Prætoria conflagravit, & reſtituta eſt. 79
Bavarus Albertus. 17
Baverius M. Antonius. 64
de Bealdis Daniel. 39
de Beldimando Profdocimus. 116
Bellettus. 108
de Belluno Jo. Petrus. 95
Bencius Ugo. 124. Franciſcus. 133
de Benedictis Alexander. 136
de Benvenutis Michael. 84
Benzonus Andreas. 90
de Bergomo Sebaſtianus. 116
de Bernardinis Martinus. 2
de Bernardis Antonius. 49. Fr. Bernardus. 96
Bertoldus Aloyſius. 52
Bertopalea Leonardus. 139. Jo. Michael. 140
Beſuccius Angelus. 138
de Betheis Petrus Marinus. 11
de Bettellis Andreas. 91
de Bezeleriis Tiberius. 111
Bidellis quæ ſint præſcripta. 20
Bidellus ad arbitrium conceſſus. 63
Biographos inter non convenit. 123
de Bolderiis Jo. Andreas. 88. Matthæus. 82. Gerardus, & Matthæus frater. 128. 129
de Bonacciis Chriſtophorus. 126
Bonamicus de Baſſano. 76
Bonafides Onufrius. 120
de Bonarrighiis Franciſcus. 107. Bernardinus. 110
Bonettus Aurelius. 110. 116
Bonfilius, al. Bonfius, Bonifacius. 12
de S. Bonifacio Hercules. 65
Bonvicinus Chriſtophorus. 74
Borromæus Antonius. 63. Jacobus. 112.
Bovis Hoſpitium. 17. 18. 83
Bradiolus Leonellus 56. Ludovicus. 70. Paullus. 71. Hieronymus. 111
Bragadenus Jacobus. 17
Brancus de Luſchis Jo. Antonius. 18
de Brandis Thomas. 19
Brandiſius Georgius. 64
Bravus Julius. 115
Braynus Ludovicus. 70
Brevius Franciſcus. 55
Brixianus Paullus. 88. Brixianum Collegium. 91
Burana Jo. Franciſcus. 115
Burgos Antonius. 73
de Buſco Conradus. 72
Buzzacarenus Joannes. 132. Angelus. 56. Bernardus. 56. Galionæus. 60. Joannes. 65. Arcuanus. 73

C.

de CAballis Franciſcus. 135
Cæſarinus Julianus. 24
Calaber Auguſtinus. 82
de Calcaneis Laurentius. 8
Calderia Joannes. 103
Calza Ludovicus. 34
de Cambiatoribus Thomas. 28
de Camerino Raynaldus. 29. Venantius. 79. 119. Marianus. ibid. Joannes. 124
Campegius Joannes. 59. Laurentius. Ibid.
Campio Matthæus. 72
Campolongus Antonius. 76

de

de Campo S. Petri Fr. Joannes. 116
Canalis Nicolaus. 38
de Cando Candus. 116. 125
Canis Jo. Jacobus. 41. Dominicus. 52. Petrus. 65
de Cantiana Joannes. 74
Capiliſtius Jo. Franciſcus. 24. & ſeq. Bartholomæus. 31. Jo. Franciſcus filius. 42. Antonius. 44. Federicus. 48. Bartholomæus junior. 52. Sigiſmundus. 54. 56. Antonius. 60
Capredinus Antonius. 140
Capra Joannes. 70
de Capua Joannes. 85. Joannes Baptiſta. 117
Caravellus Marcus. 6. 33
de Caronellis Joannes. 122
de Cardo Bernardus. 89
de Carraria Ludovicus. 110
Carrarienſis Stephanus. 2. Marſilius. 7. Franciſcus junior. 18
de Carreriis Franciſcus Nicolaus. 83. Bernardus. 89. Franciſcus. 111. Georgius. 124. Petrus. 132.
Caſſandra Fidelis orationem habet in Artium Collegio, & de Philoſophia diſputat. 89
Caſſius Joannes. 18
Caſſola Hieronymus. 90
Caſtagnola Julianus. 110. Jo. Benedictus. 125
de Caſtello Benedictus. 82
de Caſtilionio Hieronymus. 19
de Caſtro Paullus. 34. Angelus. 41
de Caſulis Laurentius. 139
de Catalaunia Jacobus. 4. & ſeq.
de Catego Andreas. 6
de Catonibus Odomatthæus. 4. & ſeq.
Cavaccius Ludovicus. 120
Cavallinus Georgius. 75
de Cavazzolis Nicolaus. 78. 124
de Cazzaghis Gratiadeus. 73
Cepolla Bartholomeus. 43. Andreas. 89
Cermiſonus Antonius. 122
Chechileus Belfortis. 49
Chelvorth Joannes. 13
Chirurgia. 139
Chizzola Jo. Antonius. 60. 74
Chottur Petrus. 7
Chriſarius Hieronymus. 89
Chryſogonus Federicus. 117
Cierculus Joannes. 5
Cittadinius Antonius. 137
Civalellus Hieronymus. 89. Donatus. Ibid.
Cœpal Remarius. 85
Collegia ſacra Civitatis inſtituit Epiſcopus. 93. Eorum jura minui cœpta. 82. 103. 128. Patuere etiam belli tempore. 75
Collegium Engleſcum. 82. Tarviſianum. 84. Brixianum. 91
Collegiorum aula a quo extructa. 17.
de Collalto Gulielmus. 32
de Comitibus Profdocimus. 3. 26
de Coneglano Aloyſius. 88
de Confortis Fr. Jacobus. 94
Contarenus Fr. Jo. Franciſcus. 98. Franciſcus. 105. Nicolaus. 5. 25. Coſmas. 31. Joannes. 53
Coradinus. 132
de Corbinellis Matthæus. 8
de Cordes Balthaſſar. 19
Cornelius Antonius. 108
Corſettus Antonius. 62
de Cortenoi Petrus. 13
de Covatis Hieronymus. 112
de Craſſis Leonardus. 17
de Cremona Joannes. 80
de Cultrariis Caſpar. 20
de Curte Gofredus. 73. Albertus. 108
de Curtoſiis Ludovicus. 4
Cyprius Emmanuel. 17. Jacobus. 125

D.

DAndulus Fantinus. 11. 25. Petrus. 21. Antonius. 49

Decius Philippus. 68
Diſcalcius Aloyſius. 66. 74. Marcus. 112
Diſputandi ordo conſtitutus. 19. & ſeq. Diſputandi facultas beneficii loco conceſſa. 63
Doctores more Nobilium. 18
de Doctoribus Benedictus. 28. Ant. Franciſcus. 49. & ſeq. Stephanus 78. 123.
de Dominicis Dominicus. 114
Donatus Petrus. 6. Franciſcus. 95
de Dondis Nicolaus. 54. Joannes 103.
de Ducis Antonius. 28

E.

EHinger Georgius. 10
Elogiis quantum fidei tribuendum ſit. 102
Emenius Adrianus. 14
Emmanuel Epiſcopus. 11
Epiſcopales ſcholæ. 93. Epiſcopalia jura. 94
Epiſcopus Rector Gymnaſii. 79. Epiſcopi in Gymnaſium auctoritas coercetur. 10. 81. Ab Epiſcopo Collegia pendent. 93
ab Equis Franciſcus. 112
Eſtenſis Franciſcus. 113
Eſtinger Joannes. 11
Eugenii IV. P. M. diploma. 8
Eyr Joannes. 7

F.

de FAciis Franciſcus. 67. Auguſtinus. Ibid.
Facinus Comes. 106
Faella Marcus. 120
de Fantis Antonius. 112
de Federicis Simon. 16
de Feletinis Franciſcus. 8
de Felicibus Hieronymus. 111
de Feltro Zacharias. 82. 112. Matthias. 139
de Fenarolis Jo. Baptiſta. 19
Feramuſca Petrus. 53
de Ferraria Jo. Maria. 53. Fr. Ludovicus. 96. Feudorum ſchola inſtituta. 56. & ſeq.
de Filetinis, al. Feletinis Petrus. 87
de Florentia Antonius. 35. Fr. Albertus. 112. Sebaſtianus. 119
a Flumine Jacobus. 53. Bartholomæus. 60. Nicolaus. 65. Antonius. 76. Paullus. 86. 104. 128. & ſeq. Bernardus. 110. Auguſtinus. 113. Bonus. 123
Fontana Joannes. 78. Onufrius. 111. & 134.
de Forlivio. V. a Turre.
de Fornace, vel Fornacibus, Joannes. 113. 127. & ſeq.
Fornaſerius Franciſcus. 112
Forſt Theodericus. 6
Forzadura Andreas. 3
Fortezza Jo. Baptiſta. 140
Foſcarenus Petrus. 16
Fracantianus Antonius. 110
Francia Petrus. 31
de Franciſcis Dionyſius. 56
Fulgoſius Raphael. 3. 25. 27

G.

de GAleatiis Ludovicus. 75
Galmarellus Benedictus. 139
a Galta Jo. Baptiſta. 111
Gara Sixtus. 21
Garzo Joannes. 37
Geminianus. 11
Genarius Thomas. 24
de Geniis Joannes Maria. 74
Ghelinus Petrus. 120
Gil Bernardus. 17. 64
de Girardinis Sigiſmundus. 90
Giroldus Jacobus. 16
Fr. Gratia Minorita 95. 97

Greudener Joannes. 16
Gualteretus Michael. 21
Gurges Galeatius. 61
de Gurguſtariis Nicolaus. 10
Gymnaſium translatum. 17. Gymnaſii expenſæ, earumque ſumma. 13. 18. Ad eas aliæ civitates ſymbolam conferunt. 13

H.

de HAſſia Caſſel Joannes. 77
Haſtiludium. 89
Heltpurg Petrus. 3
Hendl Bertoldus. 11
Fr. Hieronymus Prior S. Mariæ de Porciliis. 58
Hohenolder Georgius. 14
de Homodeis Signorinus. 3. Petrus. Ibid.
ab Horologio Galeatius. 31
Hraſt Fridericus. 2
de Hungaris Marinus. 21
Hydruntinus Marcus. 112

I.

de JAnua Carolus. 112. Franciſcus. 127. Joannes. 132
Januarius Nicolaus. 67
de Imola Joannes. 24
Immunitas farinæ & lignorum Gymnaſio conceſſa. 14
Joannes Prior S. Benedicti 58. Fr. Joannes. 105. Fr. Jo. Baptiſta. 114. 119.
de Joannis Jacobus. 33
Johel Joannes. 11
Jonſon Nicolaus. 18
Judex ne careat Laurea Patavina. 12.
a Judice Dominicus. 88
Juriſtæ Profeſſores diſputare inter ſe jubentur. 16. Juriſtarum Rector unus tantum. 14
Jus Canonicum princeps Gymnaſii ſchola. 26
de Juſtis Joannes. 86
Juſtitium propter bellum. 75
Juſtus Hieronymus. 66. Andreas. 80.

L.

LAna Hieronymus 70. Bernardinus. 74
de Lanis Lanellus. 15
Laurea ſumi a Venetis non debet niſi Patavii. 7. Poſt prandium ſumpta. 90. Laureæ diplomata caſtigata. 84
Lauretanus Leonardus. 18
de Lazara Leo. 30
de S. Lazaro Joannes. 39
Laziſius Bartholomæus. 140
de Lege Jo. Baptiſta. 51
de Lendinaria Balthaſſar. 86. Simon. 125
de Leone Joannes. 34. 53. Antonius. 40. Petrus. 60. Daniel. 64. Ludovicus. 76. Jo. Baptiſta. 111
de S. Leonardo Antonius. 40. Joannes. 76
de Leonardis Nicolaus. 124
Leonicenus Nicolaus. 105
Leoninus Cœnobita. 94
Leoniſſa Jacobus. 50. Joannes. 76
Leonius Jacobus. 52. Petrus. 134
de Libertis Hieronymus. 138
Libri a Profeſſoribus & ſcholaribus ſine vectigali in urbem introduci poſſunt. 10
Licentiati Juriſtarum quando deficerint. 10
de Licio Thomas. 73
de Lido Jo. Antonius. 81. 131. Franciſcus. 103. 133
a Lignamine Franciſcus. 54
de Limena Proſdocimus. 39
Livii oſſa falſo detecta. 4

de Lofredo Cius. 68
Logica. 113
Lovatellus Franciſcus. 132
S. Lucæ corpus ubi ſit. 86. Ad ejus aram ſupplicatio Medicorum haberi conſuevit. 86
Lucerna ardens ex agro Atheſtino effoſſa. 90
Ludovicus XII. Galliæ Rex Mayni auditor. 61. Fr. Ludovicus. 96
Lupatinus Antonius. 133
Luſa Jo. Andreas. 120
de Luſchis Bonomus. 66
Luſitanus Hieremias. 74
Luzago Julius. 19
Lyſius Cyrius. 83

M.

de MAdiis Hieronymus. 11
de Magis Alexander. 60
de Malategnis Franciſcus. 123
de Malitia Ludovicus. 39
de Malinverſis Petrus. 72
Mainus Petrus 132. Simeon. 133
de Manfredis Joannes. 42
de Manſono Joannes. 126
de Mantua Martinus. 113
Marcellinus Franciſcus. 140
Marcellus Petrus. 2. 26. Antonius. 36.
de Marcheſiis Nicolaus. 18
de Marionibus Andreas. 127
Maripetrus Paſchalis. 30. Hieronymus. 113. Victor. 133
Martellinus Cecchinus. 132
Martinengus Georgius. 13. Octavius. 70.
de Maſtellariis Paſchalinus. 56. Vincentius. 67. Martinus. 68
de Matarellis Jo. Baptiſta. 68
Maurocenus Albanus. 6. 32. Petrus. 25. Michael. 31. Barbonus. 39. & ſeq. Franciſcus. 113
Maximus, vel de Maximo, Fabius. 29. Fr. Franciſcus. 124
Maynus Jaſon. 60
Medicina. 122
Melchioſtrus Franciſcus. 61
Memoria qui valuerint. 55
de Mercato novo Gulielmus. 124
Michaelius Albanus. 2. Joannes. 16. Auguſtinus. 31
de Miliaria Joannes. 36. Michael. 47. & 58. Hieronymus. 67
de Minis Stephanus. 53
Molinus, vel de Molino, Petrus. 49. Franciſcus. 54. Laurentius. 114
Monaſterienſis Bernardus. 4
de Montaneana Petrus. 58. Bartholomæus. 122. 126
de Monte Benedictus. 17. Petrus. 35. Jo. Baptiſta. 70
de Montebaroccio Joannes. 5
de Monte Olivo Galeatius. 6
de Monte Regali Conradus. 33
de Monteſilice Zacharias. 127
Moralis Philoſophia. 119
de Motonibus Franciſcus. 124
Mullerus Joannes. 117
Murmeſther Henricus. 13
de Muſſatis Jacobus. 30. Jo. Franciſcus. 62

N.

de NÆvo Alexander 47
de Neapoli Jo. Baptiſta. 78.
de Neritono Fr. Franciſcus, al. Nardus. 98. al. Securus. 99
de Niaſio Franciſcus. 123
Nicoletti Paullus. 113
Niphus Auguſtinus. 110
de Noali Petrus. 84. 128. Nicolaus. 111. Bartholomæus. 126. Franciſcus. 129. Laurentius. 132
de Nola Andreas. 104

O.

de ODdaxis Chriſtophorus. 87
de Oddis Benedictus. 112

Oddo-

Oddonus Petrus. 87
de Oriano Lanfrancus. 48. Paullus. 58.
de Orlandis Franciſcus. 140
de Oſnago Marcus. 80

P.

de PAdua Jo. Antonius. 140
Paganinus Bernardinus. 110
Palazzolus Laurus. 38
Parma Joannes. 121
de Patinis Franciſcus 110. Ludovicus. 113
de Patavio Fr. Auguſtinus. 114
Patavii ſtudendum eſt, & Laurea capienda. 7
Patavinorum ſcholæ. 13. Patavini duo ne ſcholas regant, quæ concurrentes dicuntur. 15. Ne augeatur eorum ſtipendium ultra florenos CCC. 20. 135. Ne in Comitiis ſcholaſticis ſuffragium habeant. 15. Id aliquando conceſſum. 78
Pavvgartner Odoricus. 14. Antonius. Ibid.
de Pelacanibus Blaſius. 102
de Pellegrinis Antonius. 10. Gabriel. 19
de Pellibus nigris Jac. Philippus. 120
Pergulenſis. 118
de Perillis Angelus. 33
de Peruſio Rogerius. 29. Angelus. 33. Balthaſſar 127. 130. Matthæus. Ibid.
Petruccius Joannes. 35
Peurbachius Georgius. 117
Philoſophia. 119
Philologus Thomas. 136
de Picciolis Leonardus. 40
Pindemontius Hieronymus. 137
de Piſauro Chriſtophorus. 6
Pivius Bartholomæus. 120
de Pizzacominis Paduanus. 30
Planchner Andreas. 16
de Plegafetis Hieronymus. 118
Plumatius Bernardinus. 111
de Pola Bernardinus. 15
Polcaſtrus Sigiſmundus. 102. 125. Hieronymus. 107. 135
Polonus Nicolaus. 5
a Pomo aureo Philippus. 137
Pomponaccius Petrus. 108
a Ponte Dominicus. 3. Antonius. 112.
a Ponte Montioni Sebaſtianus. 136
Porcellinus Franciſcus. 35. Albertus. 38. Antonius. 71. Alexander. 110
de Portinariis Joannes. 13
de Portis Joannes. 36
de Portugruario Nicolaus. 3
Pranſperger Joannes. 15
de Prato Joannes. 39. Stephanus. 75. Nicolaus. 131
de Prato veteri Antonius. 32
Priora Ariſtotelis Analytica quis primus Latine verterit. 115
Profeſſores prohibentur exire Patavio. 6. Profeſſorum ſtipendia augeri nequeunt niſi a Senatu. 13. Profeſſorum immunitates. 10. 14. Profeſſores debent eſſe Doctores. 14. 16. modo ſubjiciuntur, modo eximuntur a judicio Univerſitatis. 15. 20. 132. Auditoribus carentes, vel paucos habentes mulctantur. 17. Ne litium patrocinia ſuſcipiant. 21. Profeſſori conceſſum, ut doceret *ad beneplacitum*. 46
Protonotarius in Rotulo quis. 14
Provincialis Gofredus. 19
de Puteo Jacobus. 107. & ſeq.

Q.

QUirinus Laurus. 120

R.

de RAdicibus Ludovicus. 104
de Ragazzonibus Jacobus. 107.
de Ragona Sebaſtianus. 14
de Raimundis Raphael 28. Benedictus. 45
Rambaldus Sylveſter. 15
Rambertus Philippus. 134
Ramponus Franciſcus. 2. 26
Reali Antonius. 20
Recinetenſis Chriſtophorus. 105. 131
Rectores Gymnaſii Lauream gratis accipiunt. 5. 7. 15. 77. Referuntur inter Profeſſores. 6. Stipendium habent. 6. 12. 16. Tribunal quoque in baſilica Prætoria. 13. Præeunt urbanis Magiſtratibus & Quæſtoribus. 16. Uxor illis conceſſa. 21
Regiomontanus Joannes. 117
de Regno Alphonſus. 15
de Repandis Michael. 44
Rhenanus Vipertus. 3
Rhodienſis Antonius. 4
de Rhodigio Zacharias. 73
Rocca Jacobus. 13
de Roccabonella Petrus. 105. 129. & ſeq.
de Romagnanis Antonius. 7
Romanus Julius. 74
Ronchi Paullus. 90
Roni Pandulphus. 72
Rota Simeon. 17
Rot Joannes. 12
Rotulus quando condendus. 11. 15. Quando inſtitutus. 101
Roſellus, vel de Roſellis, Antonius. 37. 127. Jo. Baptiſta. 46. & 75
Roverella Laurentius. 108
de Rubertis Albertus. 67
de Rubeis Franciſcus. 59. Hieronymus. 113. Antonius. 133
de Rugeriis, vel Rogeriis, Ludovicus. 76
Ruinus Carolus. 66. 69
de Ruſpano Simeon. 127

S.

SAccus Jo. Antonius. 61. Alexander. 115. 131. Petrus. 132
Sala Joſaphat. 37
de Salinis Antonius. 74
Samblaſius, al. a S. Blaſio. 49
de Sanaxa Imbertus. 21
Sandelicus Adrianus. 69
Sandeus Felinus. 49
Saracenus Joannes. 106. Gelaſius. 110.
Saviolus Antonius. 75
Savonarola Nicolaus. 36. Raphael. 64. Michael. 125. & ſeq.
Scarperia Antonius. 124
Schirottus Nicolaus. 85
Scholæ ſublatæ, ac reſtitutæ. 6. 7. 17. 20. Scholæ externæ vetitæ. 10. Tertiæ Patavinorum. 13. 87. Clauſę omnes. 21. Scholarum ſedilia aſſignata. 20. Prima Juris Civilis pomeridiana quomodo locum principem occuparit. 57
Scholarium controverſiæ trahuntur ad Prætorem. 5. Scholarium tria millia ſecuti ſunt Maynum ad Ticinenſe Lyceum. 60. Quadraginta cum Rectore Bononiam profecti ad deducendum Campegium Profeſſorem. 59. Sexcenti Ruini auditores. 69. Scholaribus vectigalia condonata. 5. 10
Schotius Jo. Antonius. 111
Schreuch Vincentius. 15
Scledus, vel de Scledo, Franciſcus. 13. Ludovicus. 64. Vincentius. 67. Bartholomæus. 89. Joannes. 134.
Scroffa Joannes. 14
de Sebenico Matthæus. 89

Scna-

Senatus commendat Epiſcopo, & ſummo Pontifici Petri Trapolini filium. 135
Senenſis Jo. Antonius. 5
Seranus Joannes. 74
Sermonetta Alexander. 132
de Serravalle Almericus. 123
a Sexo Auguſtinus. 109
Sextarii Veneti. 9
Siculus, vel de Sicilia, Comes. 4. Antonius. 88. Fr. Julianus. 104. Joannes. 114
de Silvanis Antonius. 11
Socinus Marianus. 34. Bartholomæus. 57
a Sole Jacobus, Alexander, Aloyſius. 57
Solicitatores ac Reformatores Studii. 4. 6
de Soncino Marcus 74. Antonius Maria. 75
de S. Sophia Nicolaus. 81. 82. 132. Daniel. 102. Joannes. Ibid. Hieronymus. 103. Bartholomæus. 112. 116. 127.
Sophiſtica. 118
Speraindeo Joannes. 72
Speronus Bernardinus. 130. 137
Spigarolus Valerius. 16
de Spilimbergo Nicolaus. 51. Bartholomæus. 81
Spinellus Jacobus. 54
Spinetta Bernardinus. 90
Stehanvvel Henricus. 82
Stillingholtz Jacobus. 81
Stipendium Profeſſoribus ne augeatur niſi auctoritate Senatus. 13. Eidem Profeſſori modo auctum, modo imminutum. 8. 33. Certa ſcholis ſtipendia aſſignata. 19. Patavinis ſumma præfinita. 20
Strodi quæſtiones. 118
Suerus Antonius. 18
Surianus Hieronymus. 115

T.

TAnhain Henricus. 10
de Tarento Jacobus. 74
de Tartagnis Alexander. 48
Tarviſianum Gymnaſium clauditur. 2.
de Tarviſio Philippus 73. 103. Antonius. 79. Jo. Andreas. 88. Fr. Nicolaus. 114
Tergulina Hieronymus. 76
Terrinus Auguſtinus. 70
Teſtamentum Joannis de Rubeis. 12
Theobaldus Perona Joannes. 19
Theologia quando recepta in Gymnaſium. 94. 96. Intermiſſa, & reſtituta. 96. Thomiſtica. Ibid. Scotiſtica. 97
Theologorum Collegium. 79. Theologi Profeſſores a quibus olim eligerentur. 96
S. Thomas Aquinas. Supplicatio ad ejus aram. 81
de Tienis, vel Tienæus, Jo. Baptiſta. 70. Antonius. Ibid. Cajetanus. 82. 103. 114
de Tinctoribus Vincentius. 74
Tiriaca Benedictus. 115. 118
Tisberi Sophiſmata. 114. 118
Tizzonus Bernardus. 65
Tolentinus Julius. 65. Hieronymus. 113.
de Tomaſiis Petrus Franciſcus. 54. Franciſcus. 72. Petrus. 122. Chriſtophorus. 123
de Tomæis Nicolaus Leonicus. 110
de Torculis Bartholomæus. 3. & ſeq.
Torta Laurentius. 89. 120
Toſinius Antonius. 119
Trambachinus Petrus. 73. Franciſcus. 112
Trapolinus Ubertus. 36. Petrus. 108. 135. Franciſcus. 115. 137

Traverſus Franciſcus. 16
Trautmanſtorf Nicolaus. 19
Triſcus Vincentius. 120
de Triſſino Joannes. 67
Triviſanus Zacharias. 2. Andreas. 52. 108. M. Antonius. 113
Trombetta, al. Tubetta, Fr. Antonius. 100
Turchettus Antonius. 53
Turcus Thomas. 10
Turinius, al. Turrinus, Joannes. 88. 128. Balthaſſar. 11. 47
de Turre Bergomas Jacobus. 78
a Turre Forolivienſis Jacobus. 101. & ſeq.
Turrianus Joachimus. 99. Andreas. 115. Hieronymus. 131. M. Antonius. 136
de Turricellis Franciſcus. 108
Typographica ars Venetias advecta. 12. Utrum ſit utilis. 86

V.

VAcationes minuuntur. 19. 50
Valmarana Almericus. 70
a Vallibus Hieronymus. 127. Franciſcus. 133
Vaſarius Bartholomæus. 84
de Ubaldinis Joannes. 24. Ubaldinus S. Danielis Abbas. 58
de Ubaldis Angelus. 33. Angelus junior. 53
Velo Joannes. 74
Venerius Andreas. 37
Veneti prohibentur ſuffragia ferre in comitiis Univerſitatis. 15. Item Rectores eſſe. 81. Veneti Patricii prohibentur docere in Gymnaſio. 15
Venetum Medicorum Collegium. 88
Venetus Paullus. 113. 118
de Venetiis Peregrinus. 77
Verdenovv Georgius. 11
Vergerius Philippus. 68
de Veriolenſibus Joannes. 52
Veronenſis, vel de Verona, Deſideratus. 83. Hieronymus. 88. Baramontes. 114. Bernardinus. 115
Verzeleſius Franciſcus. 45. Joannes, & Lælius. Ibid.
Vicetinis ſpes ablata veteris Gymnaſii reſtituendi. 3
de Vicomercato Thaddæus dimittitur. 3
de Vienna Jacobus. 88
Vignatus Urbanus. 42
de Vigontia Federicus. 45
de Villabruna Jacobus. 75
de Vio Fr. Thomas. 99
Vitalis Antonius. 89
de Viterbio Jo. Baptiſta. 77
a S. Vito Bartholomæus. 113
Ungarellus Jo. Antonius. 64. Jo. Andreas. 67
a Volta Matthæus. 113
Volticus Simeon Michael. 44
de Voltreſtaim Theobaldus. 10
Vonicus Pileus. 15
de Urbino Bartholomæus. 61. Hieronymus. 113. 137. Antonius. Ib.
Urius Joannes. 88
Urſatus Antonius. 50. Caſpar. 60. 76
Uſconus Bernardus. 69
de Utino Fr. Joannes. 95

Z.

ZAbarella Franciſcus. 23. & ſeq. Marinus. 27. Bartholomæus. 30. Jacobus. 75
de Zacchis Petrus. 46. Antonius. 70. 73
Zaita Ludovicus. 89
de Zanottis Nicolaus. 134
de Zarottis Antonius. 14. Chriſtophorus. 65
Zerbus Paullus. 90. Gabriel. 107. 134.
Zilius Antonius. 73

de Zochis Marcus . 31. Jacobus . 32. Albertinus. 68
Zuccareda Lutovinus. 80
Zucco Antonius. 11
Zuffatus Ludovicus. 89

VA1 1519963